

medietatem, ecclesiam de Cergiaco, ecclesiam de Colans medieta-  
 medietatem ecclesiam de Monholot medietatem,  
 ecclesiam de Novigento medietatem, ecclesiam de  
 Trochat medietatem, in parochia de Brens tantum  
 terræ quantum duo boves arare possunt. Erant au-  
 tem in ipsa parochia quædam aliæ ecclesiam, de  
 quibus non poterat esse ex integro in dominium  
 matris ecclesiam revocare. Statuit ut inde annis sin-  
 gulis census nostris redderetur canonicis, scilicet  
 de ecclesia Andoeni v sol., de ecclesia de Assioco v  
 sol., de ecclesia Sancti Vulfacii v sol. Ad mensam  
 suam ecclesiam Sancti Simeonis de Passeio, et ec-  
 clesiam de Celsiaco, quæ sunt episcopii, relinuit.  
 Nomina vero earundem ecclesiarum huic opusculo  
 inserui, quatenus quicumque hæc legerint, Hildeberti  
 piam memoriam devotius studeant celebrare. Ora-  
 torium etiam cum re vestiario, ad tuitionem et de-  
 fensionem ornamentorum ecclesiam a novo fundavit,  
 et forniceo opere cooperuit, ne reliquias sanctorum,  
 vel thesaurus ecclesiam posset aliquando incendio po-  
 pulari, sive latrocinio.

Si a nobis Tullianæ torrens eloquentiæ proflueret,  
 vix Hildebertum dignis laudibus possemus extollere,  
 licet nostra commendatione non egeat. Hujus enim  
 fama subtilitate carnis longe lateque in tantum  
 noscitur excrevisse, ut in extremis partibus et  
 ignotis frequentior servi notitia, quam reginæ, præ-  
 sulis, quam Ecclesiam habeatur et potior. Ita per

102  
 A eum titulus sanctitatis Ecclesiam et antiquitatis exteris  
 gentibus cognitus est, cui ipsa dignitatem contulerat,  
 commiserat prælaturam. Rexit siquidem eam annis  
 xxx, et mensibus vi, cui tam honeste præfuit et  
 discreto, ut ad arcem excellentioris dignitatis divina  
 assignatione merito sit vocatus.

Ea quidem tempestate Guillebertus Turonensis  
 metropolitanus moritur. Cujus sedis Hildebertus  
 sortitus apicem, concedente Ludovico rege Franco-  
 rum, Cenomanensibus et Turonensibus clericis et  
 populis devotum præbentibus assensum. Hunc tamen  
 nec colati honoris elatio, nec opum affluentia, nec  
 carnalia luxus prostravit titillatio. Ætatis enim  
 semper pariter et ordinis conservabat dignitatem.  
 Tandem vero xv Kal. Januarii in senectute bona,  
 spiritu lætus et alacer, astris animam, artus urnæ  
 reddidit, et sepultus est Turonis ad honorem nominis  
 Dei in dextro membro ecclesiam Sancti Mauricii.  
 Rexit quoque feliciter eandem Turonensem Ecclesiam  
 vi annis, et mensibus sex, et fuit vita ejus quasi  
 lxxx annorum. Cujus animæ clemens et misericors  
 Dominus requiem et lucem tribuat sine fine. Amen.

B Porro hujus temporibus abbatia Sancti Georgii de  
 Bosco restaurata est, quæ antiquitus destructa fue-  
 rat. Hæc vero a novo fundatæ sunt: monasterium  
 de Carnia, et de Fonte Sancti Martini, ecclesia de  
 Fonte Gihardi, ecclesia Sancti Martini de Luccelo, ec-  
 clesia Sanctæ Mariæ de Bello Loco.

## DOCTISSIMI D. LOYAUTÉ

IN SUPREMA PARLAMENTI PARISIENSIS CURIA PATRONI

### NOTÆ

In præcedentia Cenomanensium episcoporum Gesta.

—  
 APOXONTIO. — *Quamvis in his notis nonnulla occurrant quæ ad Vitam venerabilis Hildeberti parum aut nihil  
 conducere videantur, nihil tamen ex iis subtrahendum duximus, cum ipsa quodammodo extranea, nulla authenti-  
 ca exhibeant antiquitatis monumenta, quæ, ut perfectissimam rerum antiquarum, qua pollebat auctor, notitiam  
 probant, ita studioso lectori non modicam et lucem et oblectationem parere poterunt.*

Col. 10, lin. 89. — *Cenomanensis Ecclesiam scholarum magister.* Triptici officio et munere magistri  
 scholarum, seu cancellarii, qui sono tenus differunt  
 fungebantur. Docebant enim clericos litteras; dese-  
 rebatur eis præterea hæreticorum et excommu-  
 nicatorum præsolium. Ac tum demum monumenta  
 scripturarum ad res Ecclesiam pertinentium conficie-  
 bant. Quod scholas habuerint, vulgo notum est: inde  
 grammaticorum nomen alicubi adepti sunt. Abjecto  
 vero doceudi onere, titulos non exiisse; imo scho-  
 larum curam relinuisse res ipsa loquitur. De can-  
 cellario Parisiensi habes epistolam Alexandri III,  
 quæ est xviii editarum tomo IV Histor. Franc. qua  
 mandat Petro cardinali, apostolicæ sedis legato, ut  
 jam senescentem et evanescentem reipublicæ litte-  
 rariæ disciplinam, in pristinum splendorem, habita-  
 tamen prius auctoritatis Petri cancellarii Parisiensis  
 ratione, reducat, et reformet: « Super regimine  
 scholarum Parisiensium, ait pontifex, quod tibi  
 visum fuerit, ita quod personam jam dicti Petri non  
 excedat quod exinde faceris, circumspecta diligentia  
 provideas, atque disponas. » Qualia autem fuerint  
 magistri scholarum Ecclesiam Cenomanensis in do-

C cendo munia, apertissime planissimeque explicat  
 auctor Vitæ Guidonis, qui post Hildebertum Cenoma-  
 nensis fuit episcopus etiam scholarum magister a  
 « Guido idcirco a doctrina clericorum volebat absti-  
 nere, alumnis et subjectis prodesse desiderans dum  
 poterat. Juxta illud Apostoli: « Dum tempus habemus,  
 « operemur bonum ad omnes. » Circa divinum officium  
 sic erat: sollicitus, quod semper, nisi causa inevita-  
 bilis præpedisset, nocturnis horis devotus adesset,  
 et diurnis. Infantes quoque cum junioribus, qui in  
 choro serviunt, docuerat binos et binos singulis  
 hebdomadibus, tam ad nocturnas quam ad missam  
 responsoria decantare, canonicis sacerdotibus minis-  
 trare semper sub silentio, demisso vultu, ordinatis  
 vestibus horis adare canonicis. Eos nempe divinis  
 canticis, et cæteris ecclesiasticis officiis attentius  
 erudivit. Rebelles vero et negligentes modo verbere,  
 modo clementia hortabatur, quatenus bonis artibus  
 animum applicarent. Hoc enim sui juris erat. Nam  
 præcentores cum magistris scholarum ad hoc in  
 Ecclesia constituuntur, quo eorum dispositione  
 canonicam ibidem competenter celebratur officium,  
 pueros quoque et adolescentes firma coercent di-

discipline, ne illorum incuria, vel procacitate, contemptus ibi possit pullulare, aut scandalum. » Si vero severior coercitio omnium auribus et conscientiam evulganda esset, cancellarii et magistri scholarum præconio innotescebat; quod satis indicant vel hæc talionis Parisiensis episcopi, cap. 9 Constitutionum anni 1105: « Quod si fort. non resipiscere voluerint, extunc per cancellarium, qui pro tempore fuerit, excommunicati denuntientur. » Quæ per manus traxit disciplina, a primis Ecclesie temporibus in ea usque perdurasse videtur: nihil enim aliud ἀποκρίσις, de qua Eusebius lib. 7 Historiæ ecclies., cap. 25, quo loci Victor publico præconio abdicatos et alienos a communionis sua Orientis episcopos declarasse dicitur: Ἄνοιωνήτους ἄρδην πάντας τοὺς ἐκείσε ἀνακρίπτων ἀδελφούς. Ut et lib. vi, cap. de Novato: Καὶ τῷ χρεῖναι εὐλόγως τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐκλήρυτον ποιήσασθαι τὸν τῆς αἰρέσεως ἀργηρόν. Et merito curionis voce auctori illius hæreseos Ecclesia catholica interdiceretur. Quo fortasse spectant quæ habeantur in encyclica Vigili papæ: « Ea quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis Constantinopolitanæ Ecclesie voce publica dixeramus. » Quod videtur executus Ecclesie Romanæ cancellarius. Id quoque in Oriente oblituisse conjecto ex Metaphraste in Alexio: « Chartam ipsæ tradidit, quam Actio sacrosanctæ Ecclesie cancellario legendam dederunt. » Textus quidem Græcus desideratur; sed interpres, si fallor, vocem καγκελλάριος, Græcis barbaris non ignotam, retinuit. Suspicionem auget quod passim legitur in Actis conciliorum, primicerium notariorum patriarchæ, in cujus ditione sacer conventus celebraretur (qui non est alius a cancellario) habuisse secum chartas omnes et monumenta concilii; et si quæ movenda et legenda, quasi una omnium voce enuntiassent. Quid enim spissius occurrit in Actis concilii Ephesini, cui præfuit Cyrillus patriarcha Alexandrinus, quæ hæc formulæ: « Petrus presbyter Alexandriæ, et primicerius notariorum dixit. » Et: « Chartas præ manibus habemus ad id quod placuerit vestræ reverentiæ. » Atque: « Si vestra jussert sanctitas, legam. » Cæterum cancellarius notarii, unus etiam sustinuit. Ejus antiqui moris præclarum testimonium in libello quodam Utgerii episcopi Andegavensis, quem scripsit in gratiam abbatis Rotæ adversus abbatem Vindocinensem: « Quod dicunt Andegavensem episcopum fecisse chartam ejus in testimonium iudicii et investituræ magis videtur eis officere, quam proficere. Quia non fuit composita per eum, qui tunc erat magister scholarum: cum in Andegavensi Ecclesia nulla charta de rebus ad Andegavensem Ecclesiam pertinentibus valeat recipi, nisi a magistro scholarum dictata et laudata fuerit. » Sed ne quis morem solitarium Ecclesie Andegavensis fuisse opinetur, variis evincam exemplis morem consuetudinemque ubique servatam. Chartæ Hugonis Lugdunensis archiepiscopi anni 1094, quæ exstat in Bibliotheca Cluniacensi, hæc imponitur clausula: « Ego Hugo Divionensis Ecclesie monachus vice cancellarii scripsi, et subscripsi. » Ut et tabula quibusdam Manassæ et Rainaldi Rheimensium archiepiscoporum, quæ descriptæ sunt in eadem Bibliotheca: « Fulcradus cancellarius recognovit, scripsit et subscripsit. » Protulit nonnullas auctor Historiæ Sandionyanæ, quæ scriptæ a cancellariis Ecclesie Senonensis: « Girardus cancellarius et archidiaconus scripsit. Hato cancellarius scripsit. » Quo loci etiam reperias chartam Gilberti Parisiensis episcopi anni 1119, cum hæc subscriptione: « Theobaldus cancellarius scripsit. » Laudunensis episcopi multas edidit idem auctor, quæ similiter desinunt: « Robertus cancellarius relegit. Ansellus cancellarius S. Mariæ relegit. Radulfus S. Mariæ cancellarius relegit et subscripsit. » Eodem modo magister scholarum Ecclesie Pictaviensis scripsit et confirmavit instrumenta eccle-

siastica. Exemplum vidi in chartulario Prulliacensi cum hæc formula: « Data per manum Raimundi magistri scholarum Pictaviensium. » Nec abumillis subscriptio legitur in eodem chartulario: « Per manum Hervei cancellarii Ecclesie Turonensis. » Scripsit etiam Hugo Tornacensis Ecclesie cancellarius donationem, quæ edita est lib. 1 donationum piarum Auberti Miræi, cap. 45. Hic Gislebertus quidam, ad vicem domini Thateridi Metensis Ecclesie cancellarii, subscripsit chartæ 51 ejusdem libri. Et similiter Raimundus, ad vicem Asonis ejusdem Ecclesie cancellarii, cap. 55. Cancellarius igitur, seu magister scholarum, fuit Ecclesie tabularius, sive notarius. Innumera pene exempla studiosis et diligentibus, postquam id his certius feci, sese offerent. Quod vero primicerii notariorum id fuerit in Ecclesia Romana officium, docet Anastasius Bibliothecarius in Julio: « Hic constituit, ut nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in ecclesia; et notitia, quæ omnibus pro fide ecclesiastica est, per notarios colligeretur et omnia monumenta in Ecclesiam per primicerium notariorum conferta celebrarentur. » Et vetustissima quæque pontificum decreta manu primicerii notariorum subnotata, id confirmant. Erat etiam in Oriente notariorum officium ecclesiasticum; si vero episcopis in gravioribus quibusque negotiis aderant. Id testantur acta concilii Ephesini, in quibus fit mentio Epaphroditii lectoris et notarii reverendissimi episcopi Helanici Rhodiorum, qui non multis interpositis appellatur lector et notarius civitatis Rhodi. Item Anysii lectoris et notarii Firmi episcopi. Et concilio subscripsit Venantius episcopus Hierapoleos per notarium Therdoton. Quo vero ministerio officioque in conciliis sancti erant, ex hisdem satis superque liquet. Porro cancellarii in consilium adhibebantur, si res aliqua veniret in controversiam; et si suspecta falsitatis instrumenta litam dubiam facerent, quasi antiquitatis veterumque Scripturarum literate periti, idem afferbant. En tibi vetus sententia ex tabulario Sancti Albini Andegavensis, quæ rem totam aperiat; quam ideo integram appingam, quod non contemnenda vestigia venerandæ antiquitatis signet: « Quoniam actus nostri cito oblivioni traduntur, nisi scripto quolibet ad memoriam revocentur, placuit nobis quandam causam, quæ inter monachos Sancti Albini et monachos Sancti Sergii erat, scriptoræ commendare, ut per hoc ad notitiam posterorum valeat pervenire. Igitur abbas Sancti Sergii nominatus Delbertus, et monachi ejus calumniabantur monachis Sancti Albini curtem et ecclesiam Campiniaci, et alias quasdam refulas. Pro hac calumnia fluenda Othraunus abbas Sancti Albini et tota congregatio ejus, dixerunt se libenter ituros in iudicium ante abbates Turonicæ et Andegavensis provincie. Cum verba ista multum placuissent monachis Sancti Sergii, pari voluntate et consensu convenerunt in unum supra dicti abbates et monachi apud Salmurum in monasterio Sancti Florentii. Abbates vero, qui causam combatum suorum erant audituri, fuerunt quinque, quorum nomina sunt hæc: Dominus Guillelmus, abbas ipsius monasterii; dominus Bartholomeus, abbas Majoris Monasterii; dominus Haymo, Sancti Nicolai; dominus Evanus, Sancti Melanii Redonensis; dominus Gumbertus, cœnobii Mibecensis. Hi omnes adfuerunt, causam confratrum suorum attentius audituri, et secundum ecclesiasticam censuram definituri, adductis secum idoneis personis de gregibus suis, quos sapientiores et utiliores ad hæc dicenda penes se repererunt. Itaque sedentibus eis in unum, interrogarunt ambos abbates et monachos eorum, quorum causa erat, utrum velent utrinque cedere iudicamento quod ibi concordanter totus ille conventus iudicaret. Ad eorum interrogationem sicut per ordinem inquisiti fuerunt, tale dederunt responsum: *Scialis nos paratos esse et sequi et te*

vere sententiam iudicii vestri. Hoc vobis spondemus, quia ob hoc venimus. Postquam ex utraque parte sponsio ista facta fuit, oblatus est locus enarrandi causam suam abbati Sancti Sergii, et ejus monachis, qui dixerunt: *Calumniamur Sancti Albini monachis ecclesiam et curtem, quæ vocatur Campiniacus, quæ debet esse juris monasterii nostri; requirimus ab eis et alias quasdam reticulas, damnum quarum multo minus est, sed recentius et manifestius.* Et cum voluissent monachi Sancti Sergii de minoribus rebus prius placitare, et postea de Campiniaco, visum fuit iudicibus hoc esse injustum ut causa illa posterior discuteretur, pro qua abbates vocati fuerant et in unum convenerant. Dederunt tamen eis locum agendi causam unam, quæ magis eis placeret de minoribus causis, post cujus discussionem ad Campiniacum venirent. Igitur finita causa, quam de minoribus elegerunt, iudices ita ad eos locuti sunt: *Qua ratione clamatis Campiniacum ad jus monasterii vestri pertinere? Testibus, an investitura? an charta? — Per chartam, inquirunt. Tum illi: Proferte nobis ut inspiciamus.* Et protulerunt duas chartas. Quibus prolatis, a communi conventu receperunt se iudices in secretum locum, ubi diligentius possent intueri chartas, quas de manibus monachorum acceperant. Et assumpserunt secum Reginaldum grammaticum Andecavæ civitatis, qui erat archidiaconus Sancti Mauricii, et Robertum decanum ejusdem Ecclesiæ, in agendis causis magnæ peritiæ viros. Has personas Eusebius episcopus Andecavensis pro se ad placitum monachorum miserat, ut isti intellecta rectitudine testimonium perhiberent veritati, ne inter monachos ultra pro hac re seminarium discordiæ [suppl. superesset]. Scriptura autem, quam monachi protulerant, erat quoddam præceptum Roberti regis, non longæ antiquitatis, continens ista: *Reginaldum episcopum Andecavensem instaurasse ad regulam monastici ordinis abbatiam Sancti Sergii, quæ erat sua, ex episcopali scilicet jure. Sed ea tempestate per antiquam destructionem usque ad hoc dejectam, ut a paucis derelictis, et multum pauperibus coleretur. Interea vero quæ illi Ecclesiæ in præcepto illo legebantur attributa, commemorabatur Campiniacus, talibus verbis: Villa Campiniacus cum appendiciis suis. Lecto igitur præcepto illo, et semel, et iterum et diligenter inspecto, iudices supra dicti redierunt ad priorem sedem et taliter sunt locuti: *Duas nobis chartas ostendistis, unam novam, alteram vetustam. Vetustam ad hoc, ut per eam nova credatur. Sed apparet ibi grandis ambiguitas. In priore enim et antiquiore charta habetur nomen cujusdam obediæ vestræ, id est Campaniacus, quam vos habetis. In nova vero nominatur Campiniacus, una ibi littera permutata, hoc est i pro a. Igitur cum in antiqua charta videamus Campaniacum, in nova Campiniacum, credere compellimur in nova charta fuisse erratum ex industria, aut per scriptoris ignorantiam. Est et aliud. Omnia quæ charta vestra narrat vobis attributa, aut ex patrimonio Reginaldi episcopi sunt, aut ex victualibus episcoporum et clericorum. Nec Reginaldus episcopus, qui locum vestrum instaurasse dicitur, potuit vobis dare quod suum non erat. Curtilis autem Campiniaci tota pertinet ad jus comitum Andecavensium, et a comitibus maximam partem curtis ipsius, et medietatem Ecclesiæ quidam milites semper tenuerunt et tenent. De quorum numero fuit Albericus de Vieriis, qui omnia quæ habebat in prædicta curte pro anima sua dedit Sancto Albino et ejus monachis. Testantur hoc magister Reginaldus, quia nunquam fuit Campiniacus de jure episcopali, sicut ille, quem nulla res latet, quæ ad episcopium Andecavense pertineat. Nec nominat charta vestra Eccle-**

*sium, quæ est caput totius curtis. Nec loquitur distincte, et aperte partitur et dividit. Loquitur ita charta vestra: Villa Campaniacus cum appendiciis suis. Si in his verbis intellexerimus totam villam, falsum hoc erit; quia in illas partes, quas milites et ceteri homines habent, nunquam calumniam misistis, nec adhuc mittitis. Et planum est, quia multi homines de possessionibus illius curtis magnum casamentum habent sine calunnia quorumlibet hominum, sive episcoporum, sive monachorum, sive clericorum. Postremo, ut breviter ad finem veniamus, hoc solum iudicamus sufficere ad depositionem præsentis querelæ. Sed videmus monachos Sancti Albini se offerentes ad probandum secundum instituta canonum, quod medietatem Ecclesiæ Campiniaci, et nonnullam partem curtis, quiete et sine calunnia vestra tenuerunt xxx annis. Propter universa hæc, quæ modo dicta sunt, iudicamus, dilectissimi fratres, vos debere ab ista calunnia in perpetuum cessare, et possessionem suam Sancto Albino et suis absque contradictione dimittere. Tunc domno Detberto abbate et quibusdam monachis suis ad recognoscendum et sequendum iudicium inflexit. Memores enim erant sponsionis quam fecerant; solus Moyses restitit, quia pro hoc volebat ire Romam, sicut postea fecit. Tale placitum factum fuit apud Salmarum, in monasterio Sancti Florentii, sub testimonio atque iudicio virorum excellentissimæ auctoritatis atque sanctitatis, nemine iudicium aliter sentiente, vel de ordine abbatum, vel monachorum, sive clericorum, atque laicorum, anno ab incarnatione Domini 1074, xv Kal. Novembris. »*

Ibid. — *Et archidiaconus factus.* Fuisse archidiaconum Ecclesiæ Cenomanensis constat ex epistola Ivonis Carnotensis episcopi, quæ dubio procul ad eum scripta est (a), quidquid contra sentiat vir doctissimus Juretus. Vetusti enim codices quorum auctoritate nititur, villosi et corrupti sunt (b). In Hildeberti nomine mendosa quoque inscriptio poemati Baldrici, Burguliensis abbatis, cujus fragmentum exstat tomo IV Historiæ Francicæ; scribendum enim erat: *Hildeberto Cenomanensi archidiacono, non Audeberto.* Celebravit Hildebertus laudes Berengarii, ut constat ex ejus elegia. De eo igitur Baldricus: « De Berengario Turonensi pauca locutus. »

Col. 89, lin. 12. — *Honestatis suæ meritum.* Manifestæ igitur calumniæ erat, quod objiciebant adverearii de vita in mulierculas infamem. Calumniæ fidem non habuit Ivo Carnotensis, apud quem de vita ante acta criminabantur. Neque vero toties prælaudata epistola (c) quidquam asseveratione affirmat; nec sibi volebat credi, qui vanis et incertis rumoribus se afflatum propalam profitebatur. Quid enim aliud sibi volunt quæ inculcat: « *Audivi enim de te... quæ si vera sunt... dicunt enim quidam de majoribus Cenomanensis Ecclesiæ... addunt huic calumniæ.* » Qui movit controversiam, dirimit. Quid multa? Inique injuriosus fuit Hildeberto eminentissimus Anualium conditor, qui ad præmendam et inquinandam viri sanctissimi famam, infenso infestoque animo (qualem fere habuit in omnes Ecclesiæ Gallicanæ proceres) Ivonis testimonio ad annum 1088 abutitur. Non ulla me reprehendendi vel maledicendi libido, ut ea scriberem, impulit; solius vis veritatis, cujus semper cultor fui, adegit. Memoriam viri incomparabilis, sed salva veritatis gratia, auguste, sancteque veneror. Auctor hujus vitæ, qui quod ævo suo accidit refert, et cui mores Hildeberti ignoti esse non potuerant, tribuit testimonium honestatis Hildeberto. Inimici ficta crimina inferunt; utri utris anteferendi sint facile dijudicari potest. Religiosum et oculatum testem, rasset.

(c) Vide quæ de his notavimus in Vita Hildeberti.

(a) Vide sis quæ de hac epistola diximus ad Vitam Hildeberti.

(b) Hæc codicum corruptio probationem deside-

judex non obnoxius gratiæ, procul dubio probabit. Adulationis vero suspiciouem omnem amouet, quod non nisi rebus humanis exemplo Hildeberto, vita illius scriptis mandata sit. Harum porro calumniarum, quas ne suspiciose quidem refert Ivo, artifices fuerunt quidam e majoribus Ecclesiæ Cenomanensis, una scilicet ex archidiaconis, et pauci admodum canonici, qui cum hac via nihil essent assecuti, in discrimen capitis tandem optimum pontificem vocauerunt. « Quidam ex clericis, ait Auctor hujus libelli, a principio promotionis præsulis inuidiasent, et dolos totos tota die meditates, illum apud regem gra- uiter accusabant, et mentientes dicebant eum consilium fuisse proditoris. »

Col. 89, lin. 13. — *Communi cleri plebisque assensu.* Primores tamen Cenomanensis Ecclesiæ electionem ejus in crimen vocasse testis Ivo jam prælaudata epist. Iuonis Carnotensis, quasi nec eorum consilio, nec consensu electus fuisset. Sed paucorum intercessio temeraria leuioris momenti erat, quum ut periculum faceretur rite electo. Atque adeo falsis criminationibus impetum, ex eventu conjectare licet: (a) consecratus enim fuit Hildebertus anno 1098, in ecclesia Sancti Juliani Turonensis, decano, præcentore, et Goffrido archidiacono Ecclesiæ Cenomanensis presentibus et fauentibus. Id confirmant tabulæ chartularii Prulliacensis, quas subjicio: « Helias Cenomanensis comes, pro animarum patriæ matrisque meæ remedio, illud donum quod a fratre meo Gosberto datum erat ecclesiæ Sancti Petri Prulliacensi de ecclesia Bociaci, necnon etiam de cunctis ipsi Prulliacensis ecclesiæ abbatis, in die consecrationis domni Hildeberti episcopi nostri in capitulo Sancti Juliani Turonensis ecclesiæ martyris. Deo sanctoque principi apostolorum Petro, Ottonique abbati et monachis Ecclesiæ seruientibus. Hanc concessionem feci coram domno Hildeberto episcopo, et abbate Sancti Carilephi Euvrardo, et Goffrido Cenomanensis Ecclesiæ decano et Fulchrado præcentore, et Goffrido archidiacono et coram istis meis militibus Guillelmo Tibulo et Ricardo Harengodo, omnique conventu Sancti Juliani, tam clericorum, quam laicorum. Ego Goffridus Viudociensis comes, cognomento Jordanis, cunctæ meæ progeniei presenti et futuræ volo notificare, quod donum ecclesiæ Bociaci, sicuti mei comiti Gosbertus et Helias Cenomanensis comes dederunt, ita ego et filius Goffridus, qui cognominatus est Grisagonella, pro anima patriæ mei Goffridi, Aluodæque matris meæ, et anima mea, animæque Euphroniæ comitiæ uxoris meæ, donamus et condonamus. Hæc donatio facta est anno 1098. »

Col. 89, lin. 27. — *Ex quibus tanquam sapiens pigmentarius potum.* Pigmentarius dicitur in veteribus glossis Latinogrecis *μυρνῶλης, φαρμακῶλης καὶ μρῆφός*, ut in Græcolat. *μυρνῶλης pigmentarius, unguentarius.* Pigmentarius igitur est pharmocopola, qui vina medicata vendit, odoribus scilicet, melle, manna et saccharo temperata, vel aliis ejusmodi speciebus. Isidorus in glossis: *Tuspollen, manna, vel genus pigmenti.* Petrus Damiani, lib. vi, epist. 32: « Mulsum melle simul, et diversis pigmentorum generibus. » Sugerius, constitutione 3. « Pigmentum habeant frutes de camera et cellario. » Quæ chare cum ventrent, delicate et molliter viventium erant pocula. Auctor Vitæ Guidonis Cenomanensis episcopi: « Alterius cibus tam arte conditus, quam

(a) Alii auctores, et pene omnes, Hildebertum consecratum fuisse asserunt anno 1097, ipso die Natalis Domini, sex scilicet circiter menseibus ab obitu Hoelli antecessoris sui, quam Gesta episcoporum Cenomanensium ad Hoellam, narrant obiisse iv Kal. Augusti ejusdem anni 1097. Quod autem attinet ad hanc donationem Prulliacensi Ecclesiæ

pretio, ventrem pigmenta, et larga diversitas portionum, et convivam excitant ad potandum, et satiant. » De sola etiam odorum mistura dicitur. Christianus Druthmarus in cap. ii Matthæi: « Cum aliquis charus mortuus fuisset nobilis vel potens, vacuaretur ab intestinis, et condiretur myrrha cum aloë, vel aliis pigmentis. » Et auctor vetus in Cantica: « Fit primum discipulus, ingreditur cellam disciplinæ, in qua mores ejus a magistro variis virtutibus, velut a pigmentariis aromata diversis speciebus componuntur. » Nec absimile illud Ekehardi, c. 30 Vitæ B. Notkeri: « Digne memoria ejus in compositione odoris sanctæ Ecclesiæ facti opus pigmentarii. »

Col. 89, lin. 30. — *Epistolas exhortatorias dirigens.* Non tulit Hildeberti ætas virum, cui, aut ingenium præstantius, aut oratio concinnior famam conciliarit. Vivo eo et vidente, in scholis epistolæ adolescentibus ad imitandum propositæ fuerunt. Petrus Blesensis epist. 102: « Profuit mihi quod epistolas Hildeberti Cenomanensis episcopi, styli elegantia, et suavi urbanitate præcipuas, firmare et corde tenus reddere adolescentulus compellebar. » Nec vero sibi solum, sed et patriæ, elegantiae tantam gloriam peperit, ut vulgo elocutio Cenomanica compta et perpolita haberetur. Willelmus Malmesburiensis lib. i de Gestis pontificum Anglorum, ubi de Radolfo Roffensi episcopo: « Si scientiam litterarum rimeris, totas exhaust Athenas; si eloquentiam exigas, melleo quodam lapsu ex ejus ore fuit oratio: cui accedit genialis solis, id est Cenomanici, accuratus, et quasi deperus sermo. »

Col. 89, lin. 40. — *Celeberrime divulgata.* Chronicon Turonense ad annum 1127: « In versificando et dictando scientia clarus » vocatur. Plenius Chronicon Antiseiodorensis ad annum 1107: « Florebat hoc tempore Hildebertus, prius Cenomanensis episcopus, deinde Turonis archiepiscopus. Vir scientia perspicuus, et tam in versificando quam in dictando gratiam peculiarem adeptus. Inducant hoc diversa ejus opuscula, quæ metricè edidit, et epistolæ, quas ad diversos direxit. Quæ omnia miro modo commendat et elegantia sensuum, et lepos brevitasque verborum. Unde quidam de eo sic ait:

*Inclutus et prosa versaque per omnia primus*

*Hildebertus olet prorsus ubique rosam.*

Quod iisdem pene verbis referunt alii chronologi Itali et Germani, tum etiam Angli.

Col. 89, lin. 44. — *Non tunc xi. annos excesserat.* Si bene calculum ponit in fine hujus opusculi, erat annorum xlv. Ait namque expleto octuagesimo anno abiisse ad Dominum, annos xxix exegisse in episcopatu, et vi annos cum dimidio in archiepiscopatu, ex quibus vix colligas xxxvi annos, quos si detrahas, reliqui erunt xlv anni, et quod excurrit, quos transiit in canonicatu, magisterio scholarum et archidiaconatu.

Col. 90, lin. 33. — *Inter Anglorum regem.* Willelmum II.

Col. 90, lin. 34. — *Et Heliam comitem.* Filium Joannis de Fissa, cujus memoriam pene intermortuam renovabo, prolatis tabulis ex chartulario Sancti Albini Andecavensis, quæ sic habent: « Vir nobilis et miles egregius, cui nomen est Joannes de Fissa, largitus est de suo honore aliquid Deo et Sancto Albino et ejus monachis. Igitur dedit ecclesiam Sancti Audoeni et capellam suam, quæ in ejus castello sita est, interfuit Helias filius ejus. Actum apud Fissam,

factam in die consecrationis domni Hildeberti episcopi, suspicarer diem illam non esse ipsam ejus consecrationis diem, sed tantum anniversariam, quam olim episcopi solemniter celebrare solebant. Nec enim probabile videtur consecrationem Hildeberti per decem et octo ad minus ab ejus electione fuisse dilatam.

anno ab Incarnatione Domini 1087, indictione prima, secundo Idus Februarii. Non longo post temporum decursu volumine, idem supradictus Joannes de Fissa apud castrum Gunterii, ægritudinis dolore detentus monachalem habitum et benedictionem flebiliter appellando, a monachis Sancti Albini, Dei gratia concedente, suscipere meruit; ubi dedit, etc. Ipse eadem die ægritudine defunctus est. Monachi corpus ejus diligenter procuratum ad Sanctum Albini attulerunt, et diligentius sepelierunt. Helias vero filius ejus, qui sepulturæ interfuit, eodem die in capitulo, ponendo baculum in manum domini Girardi abbatis, quod pater prius, quod pater posterus Sancto Albino donaverat, libenter donavit et concessit. Et receperunt beneficium Sancti Albini ipse et frater ejus Gaufridus. Eo tempore quo ista facta fuerunt, Gauzbertus filius Joannis de Fissa major natu, Cenomanis morabatur. Qui adversum monachos vehementer iratus, calumniatur quidquid pater ejus monachis dederat, et frater concesserat. Deinde missis a Girardo abbate tribus monachis Cenomanis, a calumnia cessavit, accipiens ab eis x libras denariorum Andecavensium, et omnia supra dicta confirmavit, et beneficium ac societatem monasterii Sancti Albini accepit de manu episcopi Hoelli, jussu abbatis. » Quod confirmat Chronicon breve comitum Andecavensium his verbis: « Helias filius Joannis de Fleca, Sybillam filiam cujusdam comitis Longobardiæ neptem, scilicet Hereberti, quondam Cenomanici comitis, duxit uxorem, et cum ea comitatum Cenomanie suscepit. » Quæ revincunt errorem auctoris. Vitæ Hoelli, dum scribit genere paterno Heliam a comitibus Cenomanensibus oriundum, qui solius affinitatis conjunctione his devinctus erat, ut hinc constat. Hæc sunt illius verba: « Surrexit quidam nobilis adolescens, qui erat de genere Cenomanensium consulum, Helias nomine, e comitatu calumniari ipsum comitatum. » Non longo post mortem Joannis patris interjecto intervallo, dolale bellum suscepit Helias, qui post multos belli eventus, qui hic enarrantur, compos voti factus, multa in Ecclesiam Cenomanensem contulit beneficia. Martyrologium Eccles. Cenom.: « v Id. Julii obiit venerabilis Cenomanensium comes Helias, qui in introitu sui consulatus huic sanctæ matri Ecclesiæ concessit quidquid Hugo comes ejus antecessor, Marchisi filius, Hoello episcopo pro damnis et illatis ibi contulerat injuriis, et quidquid ejus socer Gervasius de castro Lit. Ad suggestionem quoque Hildeberti episcopi, beati Juliani lectum ex argento et auro fecit. » Multa dedit etiam monachis Sancti Albini comes factus, ut ex tabulario constat. « Helias comes Cenomanensis Fissam adveniens, donum quod pater ejus monachis Sancti Albini dederat, et ipse concesserat, accrevit iterum de quadam parte terræ suæ, quæ est a terra monachorum usque ad domum leprosororum. » Et ibidem: « Anno Incarnationis Domini 1110, xii Kal. Novembris, donavit Helias comes Cenomanis pro remedio animæ suæ ac parentum suorum, medietatem terræ beati Thomæ apostoli, quam ipse apud castrum Fissæ, in festivitate ejusdem apostoli, cui novam ibidem extruxerat ecclesiam, per singulos annos instituerat agi. De hac re investivit ipse Archembaldum abbatem in festivitate supra dicta apud idem castrum in domo monachorum. » Eodem anno fatiæ cessit Helias, Chronicon Sancti Florentii: « 1110 obiit Helias comes. » Et Chronicon breve Sancti Albini ad annum 1110: « Eo tempore, v Kal. Julias, Helias comes Cenomanorum obiit, honorem suum Fulconi juniore, genero videlicet suo derelinquens, vir ingenio et audacia magnus. » Conveniunt omnes in id unum, quod Helias mortuus obiit anno 1110; mensis et dies in controversiam mittuntur; Martyrologium enim v Id., et Chron. Albinianum v Kal. Julias. Cæterum incogi-

tantia antiquarii in mendo cubat charta quam supra descripsi. Qui enim fieri potuit, ut sic ageret, sic contraheret mense Novembri, qui mense Junio vel Julio anteriori extremum diem morte confecerat.

Col. 90, lin. 34. — *Inter Anglorum regem et Heliam comitem Bellum.* Causa et origo belli, ut innotescat quem titulum prætenderet Willelmus II, alio et a capite repetenda est. Cenomaniam, quasi Norman-niæ appendiculam, cum sibi jure vicinæ armis vindicare Willelmus I injuria et frustra tentasset, contra renitente Cenomanensi comite Herberto, ope et auxilio Gaufridi Martelli Andecavensis comitis, qui ereptum restituerat comitatum, fracto et debilitato armorum impetu, ad artes, genti suæ valde notas, divertit. Comitem captavit, et quod vi nequiverat, dolo assequitur; hæres, legitimis exhereditatis, ex asse scribitur, hæreditatemque vivente adhuc, et spirante Herberto crevit. Gesta comitum Andecavensium: « In diebus illis Willelmus dux Normannorum Herbertum consulem Cenomanicum nimis impugnabat, cui Martellus auxiliator et tutor fuit, et ideo Willelmus dux, qui postea Anglia acquisita, rex Anglorum existit, multa a Martello mala perpassus est. Ibidem: Willelmus Cenomanum, concedente sibi Herberto, acceperat, et Helias cui hæreditario jure eveniebat, violenter auferabat. » Quibus succinit Malmesburiensis lib. iii: « Terras olim Normanniæ appendices, quæ longo usu insoleverant, restituere intendit; Cenomanicum dico comitatum, et Britanniam. Quorum Cenomanis dudum a Martello succensa, et domino suo Hugone privata, tunc nuper aliquantulum sub Herberto Hugonis filio respiraverat; qui ut tutior contra Andecavensem esset, Willelmo se manibus dederat, in ejus fidelitatem sacramento juratus. Præter filiam ipsius petierat, et desponderat; quæ priusquam nubilibus annis matura conjugio feret, ille morbo decessit, hæredem sibi Willelmum pronuntians, adjuratis civibus ne alium susciperent, habituri, si vellent, lenem et probum dominum; si nolent, recti sui exactorem immodicum. Quo defuncto, Cenomanenses magis ad Guvalterium Medantium (a) declinantes, cui soror Hugonis nupserat, sero tandem, ut Willelmum susciperent, resipuerunt, gravibus sæpe damnis admoniti. » Facere non possum, quin hoc loco obiter moneam errorem lapsum Malmesburiensem, qui appendicem Normanniæ Cenomaniam faciat, quæ partite semper a suis comitibus administrata, et tum demum dominata, ut constat ex Pontificali Cenomanensi, et Gestis comitum Andecavensium, in quibus continuatio seriesque comitum hæc habetur. Hugo, qui cum Segenfrido episcopo bellum gessit. Herbertus Evigilacensem, qui Avegandum episcopum vexavit. Herbertus Bacco superioris avunculis. Hugo, Herberto Baccone expulso, comitatum recuperavit, et ex Berta Alani Britannorum comitis vidua, Herbertum, de quo agit Malmesburiensis, sustulit. Pontificali in Gervasio: « Hugone apicem comitatus adeptus, monachus effectus est Herbertus Bacco. In tantum autem antistes Gervasius dilexit Hugonem, quem de sacro fonte susceperat, ut quæreret ei uxorem, Bertam videlicet nobilissimam feminam, Alani Britannorum comitis olim conjugem. Quæ res Gaufrido valde displicuit, sicut probavit eventus rei. Hugo cum suis militibus propter uxorem abiit. Gaufridus castellum Lit igne cremavit. Pro talibus enim factis extunc nimis alter alterum odivit, scilicet et comes pontificem, et pontifex comitem. Videns ergo Gaufridus quod consilio domni Gervasii episcopi, ad ruinam et ad suum detrimentum Hugo comes uxorem fortissimam duxisset, Judam portans in pectore, mandavit in dolo Gervasium episcopum ut traderet eum; quem traditum misit in carcerem, ac tenuit eum in vinculis

(a) Vel potius Gaufridum de Meduana, ut ex sequentibus patet.

usque ad septem annos, sperans se pro hoc castrum Lit habiturum. Sed nil ei profecit, quia bene illud custodiebant milites castellani. Dum hæc ita se haberent, mortuus est comes Cenomanicus Hugo, Gervasio præsulæ adhuc in vinculis constituto. Dominus vero Gervasius de morte comitis valde est contristatus, et Gaufridus Andecavensium comes e contra est gavisus. Comite autem Hugone secundum legem Christianorum sepulto, Gaufridus comes honorem suscepit usque ad decem annos. Cives vero Cenomani uxorem Hugonis cum infantibus plorantem per unam portam projecerunt, et Gaufridum comitem gaudentem intrare fecerunt. » Nomen infantium, qui cum matre fortunis omnibus deturbati, reticuit. In iis fuisse Herbertum III et ultimum comitem Cenomanensium, et eum in integrum fuisse restitutum, ex his chronici Kemperlegiensis ad annum 1062, verbis facile collegeris: « Herbertus Cenomanensis comes moritur, uterius frater Conani ducis. » Qui quidem Conanus filius erat Alani et Bertæ, ut prodit idem Chronicon anno 1066. Mortuo igitur Herberto III, comitatum quatuor annis quiete Willelmus possedit; totidem enim numeratur ab excessu Herberti ad expeditionem Anglicanam; transfretavit enim anno 1066, ut indicat idem Chronicon. » Willelmus Normannorum dux in magna classe in Britanniam invasit. » Willelmus ubi absuit quid sit consecutum docet auctor Vitæ Arnaldi Cenomanensis episcopi: « Hujus tempore Willelmus princeps Normannorum, qui tum comitatum Cenomanensem, extinctis atque omnino deletis ejusdem comitatus hæredibus, acquisierat, cum maximo Francorum, Normannorum atque Britannorum exercitu in Angliam transvectus, Anglos bello devicit, et interempto ipsorum rege Araldo, totius Angliæ regnum obtinuit. Ubi dum aliquo tempore rerum bellicarum occupationibus teneretur, Cenomanensium proceres una cum populo ab ipsius regis fidelitate unanimiter defecerunt, et mittentes in Italiam Athonem quemdam marchisium, cum uxore et filio qui vocabatur Hugo, inde venire cœperunt, sequa et civitatem, et totam simul regionem penitus expellentes, quodam regis dapifero, Vinsfredo nomine, in ipsis munitionibus interempto. » Narrat insuper Marchisium deprehensa Cenomanensium levitate, uxore et filio in fidem Gaufridi de Meduana (quem perperam Guvalterum Medantiam appellat Malmeburienis) viri nobilis et admodum versuti ingenii, deposito, in Italiam remigrasse. Deinde, quomodo (ut multa omittam) plebe in proceres concitata, facta conspiratione, quam *communitionem* vocabant, Hugo ad patrem amandatus est; mater vero Gersendis, filia Herberti Cenomanensium illustrissimi quondam comitis, in civitate remansit, et in arcem totius urbis munitissimam exosum populis induxit Gaufridum Meduanensem, a qua dejectus est duce Fulcone Andecavensium comite. Sed tandem pacata Anglia. » Willelmus rex Anglorum (auctoris verbis utor) innumerabili exercitu congregato, in Cenomanicum pagum advenit, castrum Fruiacum obsedit, agros et vineas, et omnia quæ in circuitu erant, igne ferroque devastans. Sed cum ejus impetum castellani sustinere non possent, pacem cum eo, prout melius potuere, fecerunt. Qui mox recepto castro, et positis in ejusdem castri munitione custodiis, ad civitatem profectus est, circa fluvium Sartæ, in loco qui Mantula dicitur castra constituens. Ad quem locum proceres civitatis egressi, cum eodem rege de pace colloquium habuerunt, et acceptis ab eo sacramentis, tam de impunitate perfidiæ, quam de conservandis antiquis ejusdem civitatis consuetudinibus atque institutis, in ipsius ditionem atque imperium cetera omnia dederunt. » Willelmi victoriam ægro animo tulisse Fulconem Andecavensem comitem satis arguit, quod Hoel-  
 fum Arnaldi successorem in metropoli Turonis, urbe dominationis suæ, consecrari noluit. Idem auctor in Hoello: « Quia propter contentionem, quæ inter

A Willelmum regem Anglorum et Fulconem Andecavensem comitem de eodem episcopatu exorta erat, Radulphus Turonorum archiepiscopus Turonis eum ordinare non potuit, ipsius assensu atque præcepto, omniumque suffraganeorum ejus, cum magno honore ordinatus est in Rothomaga civitate a domino Willelmo ejusdem urbis archiepiscopo x Kal. Maii, anno ab Incarnatione Domini 1060. » Hactenus de Willelmo I. Quæ deinceps sequuntur ad hunc nostrum Willelmum II devolvuntur. Pergit auctor paucis interjectis: « Illis diebus Willelmus Anglorum rex strenuus mortuus est, ejusque morte tota Cenomanorum regio perturbata; et inter reliqua mala quæ iisdem temporibus contigerunt, surrexit quidam nobilis adolescens, qui erat de genere Cenomanensium consulum, Helias nomine, et cœpit calumniari ipsum comitatum; ingressusque castrum quod Baledonem nominant, regionem undique devastabat, maximeque adversus civitatis habitatores, qui ei viriliter resistebant, multis insidiis assiduisque depredationibus grassabatur. Sed cum res parum procederet, putaretque consilio præsulis, qui in fidelitate Rothberti comitis inviolabiliter perdurabat, suis conatibus obviari, quorundam perversorum consilio, in tantam prorupit audaciam, ut in Christum Domini manum mitteret, eoque in castrum patrimonii sui, quod Fisa dicitur, in custodia ponere non timeret, clericosque suos ita ab ipsius præsentia fecit removeri, ut cum nullo eorum nec familiare, nec publicum posset habere colloquium; rusticumque presbyterum ejus obsequio deputavit ne custodem calliditas Latina posset confabulatione deludi, etc. Interea Gaufridus (de Meduana) cujus supra mentionem fecimus, ratus se opportunum tempus invenisse, quo regionem denuo perturbaret. Hugonem filium Athonis, jam adultum, crebris legationibus sollicitans, ut in regionem veniret obtinuit. Cum ergo esset apud castrum, quod Carcer dicitur, C occurrunt ei proceres civitatis, sacramenta fidelitatis, quæ Rothberto comiti promiserant, pro nihilo reputarent. Episcopus autem cernens periculum imminere, si levitati ipsorum aliquem præberet assensum, paucis contentus comilibus, ab urbe cum festinatione discessit, et profectus ad principem, cuncta ei quæ gesta fuerant enarravit. Ipse autem Rothbertus ultra modum inertis et voluptati deditus, nihil dignum ratione respondens, quæ Cenomanenses fecerant, pro eo quod inepto homini nimis onerosi viderentur, non multum sibi displicuisse monstravit. Non enim curæ videbatur, nisi ut episcopatus tantum in ejus dominio remaneret. Unde præcipit episcopo ut ad Ecclesiam quidem reverteretur, de episcopatu vero nullatenus Hugoni marchio responderet. Interim Hugo communi omnium assensu in civitatem receptus, in domibus episcopi mansionem recepit. » Addit: « Dum præfatus comes propter inconstantiam suam bonis omnibus haberetur infestus, omnibus quæ habere poterat in pecuniam redactis, Helias cognato suo, cujus supra mentionem fecimus ipsam civitatem totumque comitatum, quantum in ipso erat, vendidit; sicque inhonestæ mercationis pretio sarcinatus, in patriam suam cum magno redavit opprobrio. » Nunquam animum inducere potui Rothbertum adeo negligentem, et in re sua dissolutum fuisse, ut affectas et jene prostratas, amisso Cenomanensi comitatu, fortunas suas, susque deque habuerit. Verosimilius est bellis civilibus inleutum, vindictam in aliud tempus distulisse. Et vero Malmeburienis in Willelmo II narrat inter Willelmum et Rothbertum pacem ex lege conventam, quod « comiti rex Cenomanos acquireret. » Addit etiam eodem loci: « Uterque dux ingentes moliebantur conatus, ut Cenomanos invaderent. Sed obstilit jam paratis bellum quod imminabat a fratre Henrico. » Cætera belli series et progressio hic eleganter describitur, quare verbum non addo.

Col. 90, lin. 33. — *Cenomanensem episcopatum*

*calumniabatur.* Hoc colore, quod fiducia a fratre Rothberto Normanniam, quam jure accessionis Cenomania sequebatur, teneret. Chronicon Turonense ad annum 1098: « Cum Rothbertus dux Normanniæ, cruce assumpta, terram suam invadisset Willelmo Rufo regi Angliæ, fratri suo, pro x millibus marchis argei, idemque rex Willelmus Cenomanicum accepisset, et post in Angliam reversus esset, dictum est ei quod Cenomanis obsessa erat. Qui statim mare turbatum ingressus, dixit se nunquam audisse regem naufragio perisse. Et sic Cenomanis veniens, Heliam comitem ibi cepit. »

Col. 90, lin. 35. — *Ideoque ordinationi episcopi moliebatur.* Quia inconsulto comite non licebat episcopum consecrare.

Col. 90, lin. 36. — *Cum autem ordinatum audisset.* Helias æmuli consentiente auctoritate, quod durius illi videri potuit. Verum enim vero supra ex tabulario Prulliacensi observatum est Hildeberti nostri consecrationi Heliam comitem interfuisse.

Col. 90, lin. 43. — *Comprehensus.* Helias dum hostes acriter insequeretur, ex insidiis captus iv Kal. Maii, anno 1098 a Roberto de Belisma, qui partes Willelmi II fovebat, auctore Chronico brevi Sancti Albiini Andecavensis, cujus verba mox describo.

Col. 90, lin. 43. — *In arce ipsius civitatis.* Angli, quibus familiare est, sprete historiæ majestate, in adulationem labi, despiciatam atque adeo contemptam Heliam fuisse aiunt, ut in custodiam traditum regent. Malmesburienensis in Willelmo II: « Venationi in quadam silva intentum nuntius detinuit, ex transmarinis partibus, obsessam esse civitatem Cenomanis quam nuper frater profecto suæ potestati adjecterat, etc. Ponto transito, obsessores audita ejus fama, dissiliunt. Auctor turbarum quidam Helias capitur: cui ante se adducto rex indubundus: *Habeo te, magister,* inquit. At ille, cujus alta nobilitas nesciret etiam in tanto periculo sapere humilia loqui: *Fortuito,* inquit, *me cepisti; si possem evadere, nobis quid facerem.* Tunc Willelmus præ furore fere extra se positus, et obuncans Heliam: *Tu,* inquit, *nebulo, quid faceres? Discede, abi, fuge; concedo tibi, ut facias quidquid poteris, et, per vultum de Sancto Luca, nihil, si me viceris, pro hac venia tecum paciscar.* Nec inferius factum verbum fuit; sed continuo dimisit evadere, miratus potius quam insectatus fugientem. » Et ex Malmesburiensis lacunis Joannes Sari-berienensis, Policratici lib. vi, cap. 18: « Rex Anglorum, qui Rufus cognominatus est, armis quidem strenuus, sed parum religiosus, et qui persecutione sanctorum, et præcipue Sancti Anselmi Cantuariensis, epiculum invidiæ quo suffocatus est, in se visus est provocasse; is, inquam, Cenomanum expugnavit, comitem cepit, nec dignatus est eum carcerali custodia mancipare, totoque operi attestabitur in perpetuum Mons Barbatulus, aut si alio nomine censere volueris, dicatur Mons Barbarus, aut Barbarorum. »

Col. 91, lin. 3. — *Fulco Andecavorum comes.* Rechin cognominatus. Is erat ex sorore Adela nepos Goffridi Martelli primi Andecavensis comitis: quæ in matrimonium Frerolo Gastinensi comiti collocata, Goffridum Barbatum et hunc Fulconem peperit. Gesta comitum Andecavensium: « Goffridus Martellus filius Fulconis, cum filios non haberet, comitatum suum, scilicet Andecaviam et Turoniam, quam conquieserat, nepotibus suis Goffrido Barbato, et Fulconi Rechin reliquit, Andecaviam et Santonas Fulconi, Turoniam cum Landonensi castro Barbato donavit. Isti duo, Barbatus scilicet et Rechin, fuerunt filii Goffridi Frerola, illustris viri de Gastinesio et Landonisio, orti ex sorore Martelli prædicti. » Patrem Albericum vocat auctor Chronici comitum Andecavensium, et matris nomen prohalat, his verbis: « Goffridus Martellus cum filios non haberet, nepotibus sive Goffrido Barbato et Fulconi Rechin, filiis scilicet Adela sororis meæ, et Alberici comitis de Gastinesis, bona sua de-

reliquit. » Ea forsitan ratione passim profitetur se hæreditario jure comitatum Andecavensem possidere, vel forte ut prædonsis notam elueret. Præsto est exemplum ex tabulario Sancti Sergii: « Ego Fulco ex hæreditario jure Andecavorum comes, Goffridi egregii comitis avunculi mei et præcessorum suorum et meorum memoriam faciens, quorum aliqua pars in cimiterio beatorum martyrum Sergii et Bacchi condita, resurrectionem expectant, per filii mei Goffridi et Magnatum meorum consilium. » Et anno 1095 Fulco majorem natu Goffridum fratrem suum bello captum in custodiam dedit, et Andecavensem atque Turonensem comitatus sibi asseruit. Quamobrem diris devotus, pœnas sceleri impares rependit; iudicio enim Hugonis Lugdunensis archiepiscopi et sedis apostolicæ legati, anno 1094 fratre a custodia non emisso, nec vinculis levato, ipse anathematis nexu absolutus est; quod testantur acta, quæ sic habent: « Hugo Lugdunensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, dilectissimis in Christo fratribus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, salutem. Comuni orthodoxorum omnium notitiæ tradere dignum judicavimus, qualiter ex præcepto domini nostri papæ Urbani, pro causa Fulconis Andecavensium comitis, usque ad fines Andecavorum veniendi obedientiam suscepimus, ut cum a vinculo anathematis, quo diu tempore innodatus erat pro captione fratris sui Gaufridi, quem in bello publico ceperat, absolveremus. Cum tamen ipse comes rationem reddere, aut satisfacere, aut iudicium subire non subterfugerit, imo semper paratus esset; et ut virorum probabilium clericorum et laicorum relatione cognovimus, præfatus frater ejus tempore quo captus fuit, a Stephano cardinale Romano, sedis legato, pro multimoda injuria, quam inferebat Turonensi Ecclesiæ et abbati Sancti Martini Majoris Monasterii, excommunicatus erat, et Fulconi huic principatus Andecavensis comitatus ab ipso legato ex parte Sancti Petri donatus erat. Quem quidem et ab avunculo suo Gaufrido sibi concessum fuisse, virorum probabilium de nobilibus suis veraci cognovimus relatione. Nos igitur hac suscepta legatione, ut vigor apostolicæ obedientiæ majori a nobis tractaretur auctoritate, venerabilem fratrem nostrum Bituricensem archiepiscopum, executionis hujus adhibuimus socium; et sic simul positi, fratrem comitis, quem captum audiebamus, consulto adivimus: Quem ita desipientem invenimus, ut ferebatur ab omnibus, ut prorsus inutile et vanum videretur regendæ ei patriæ committere principatum, qui sibi et omnibus stultitia factus fuisset inutilis, usque adeo, ut nec per manus nostras a captione vellet eripi. Venimus itaque usque ad cœnobium Sancti Florentii, et in die Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, virorum religiosorum, episcoporum et abbatum, qui invitati advenerant, Fulconem comitem paratum satisfacere, aut rationem reddere, unanimi omnium voto et laude absolvimus; acceptis ab eo securitatibus, ut si frater ejus meliorationem sensus reciperet, ex præcepto domini nostri papæ vel nostro, aut concordiam faceret cum eo, aut iudicium subire paratus esset; nec uxorem duceret, de quarum numerositate culpabatur, absque nostro consilio. Cujus rei gestæ seriem nobis paodere judicavimus. Religiosorum autem qui adfuerant nomina hæc sunt: Aldebertus venerabilis Bituricensium archiepiscopus; Hoellus Cenomanensis episcopus; Guillelmus, abbas Sancti Florentii; Bernardus, abbas; Majoris Monasterii; Bernardus, abbas Sanctorum Sergii et Bacchi; Girardus, abbas Sancti Albiini, Hualdus, abbas Sancti Nicolai; Baldricus, abbas Burguiniensis; Gaufridus, abbas Vindocinensis. Actum est anno ab Incarnatione Domini 1094, apud abbatiam Sancti Florentii, in festo Sancti Joannis Baptistæ. » Nescio an iidem artibus elicitum ambitiosum istud decretum, quibus pœnas sceleri debitas fragit. Chronicon Turonense: « Anno

B

C

D

Henrici imperatoris xi et Philippi regis vii, dedit Fulco Rechin comes Andegaviae, Philippo regi Franciae castrum Landonense, fratre suo vivente, quem tenebat in carcere, ea conditione, quod non cogeret eum fratrem suum a carcere liberare. Multas autem uxores habuit, et ex his liberos. Gesta comitum: « Fulco plures duxit uxores, filiam Lancelini de Baugenciaco, ex qua est orta comitissa Britanniae, illa quae post obitum viri sui, Hierosolymis in ecclesia Sanctae Annae vitam monachalem exercuit. Post mortem, duxit Ermeniardim, filiam Archambaldi de Bourbonio, ex qua genuit Goffridum Martellum, admirabilem virum, justitia insignem, totius boni cultorem, qui terror omnium inimicorum suorum fuit. Libidinosus Fulco sororem Amalrici de Monteforti adamavit, cujus praeter formam nihil unquam bonum laudavit, pro qua matrem Martelli dimisit, affirmans eam de genere suo fuisse. Quam dimissam Willelmus Jaliniacensis, vir ex nobilioribus Arvernorum, uxorem duxit. » Chronicon breve comitum haec parvulum illustrat: « Fulco plures duxit uxores, filiam Lancelini de Balgenceio, ex qua orta est comitissa Britanniae. Post mortem filiae Lancelini, duxit Ermengardim, filiam Alzenbaldi Fortis de Bourbonio, ex qua genuit Gaufridum Martellum. Qua dimissa, ex sorore Amalrici de Monteforti comitis Ebroicarum Fulco Rechin genuit Fulconem. » Qualis autem quantusque de caetero fuerit Fulco Rechin, Gesta comitum Andecavorum, quae brevi, ut spero, prodibunt, auspice.... Duchesnio doctissimi parentis Andreæ Duchesni filio eruditissimo, affatum te docebant. Hoc unum addo, mortuum esse xviii Kal. Maii, anno 1109 chronicon Vindocinense: « Hoc anno, xviii Kal. Maii, obiit Fulco comes Andecavorum, vir pietatis et misericordiae visceribus plenus, frater comitis Goffridi, qui Barbatas cognominabatur. In monasterio nostro Andecavensi Sanctae Trinitatis, sicut praecipit, est honorabiliter sepultus. » Quod iisdem pene verbis Kalendarium Ecclesiae Andecavensis: « xviii Kal. Maii, obiit Fulco dulcissimus comes Andecavensis, nepos Goffridi prioris Martelli, anno Domini 1109. »

Col. 98, lin. 4. — *Cum filio suo Goffrido.* Cui laudes bellicas Martelli II cognomen pepererunt. Pauca de multis, quae narrant Gesta comitum, hic depromam, propterea quod nullo in codice excuso ea conspiciantur, et his lucem fenerant: « Goffridus Martellus II jam adultus, juvenis prudens et animosus, videns terram turbatam, et proceres totius consulatus contra patrem cornua erigere, eis viriliter resistebat, et quomodo patrem in suos ulcisceretur irrequietus cogitabat; qui omnibus prevaluit, et ab insultatione eos revocavit; qui insignis justitiae ab omnibus metuebatur, et ei plus quam patri totius consulatus homines omnes et nobiles obediebant, patrem propter vitia odio habentes. Qui Fulco, reperta cognatione, Ermengardim matrem Martelli, eo adhuc puero, dimisit.... Quae mulier timens privignum adultum aetate, animus ipsius omnibus infestus, neque quietibus, neque vigiliis sedari poterat, siscitans quomodo nocumento Martello esse posset. Saepe color ejus exsanguis, incessus citus, modo tardus, prorsus in facie vultuque recordia inerat, et illis quos multis modis ad se illexerat, mala facinora edocebat. Goffridus Martellus quomodo his resistatur discutens, sciens quia sine sociis nemo tale quidquam conator, cogitans quomodo Hugonis amicitiam sibi contrahat et adjungat, in quo animus similis suo inerat; quod cum contingit, amor exoriatur necesse est. Elisabeth sororem suam ex matre sua Ermeniardim et Willelmo Jaliniacensi ortam, Hugoni in conjugium copulavit. Martellus Hugoni et suae uxori domicilium, et quidquid Ambasiaco possidebat, post obitum patris sui concessit. Is vero prudenter negotia sua agebat, nec nimis remisse, nec insipienter militabat.... Martellus insidiis suorum et novercae, patre, ut fer-

tur, consentiente, Cande castro occisus est, sepultusque in ecclesia beati Nicolai Andegavensis. » Mih incredibile videtur patrem in mortem tanti filii consensisse, cum videlicet senex esset, et filius, si longinquitas vitae sibi concederetur, quidquid amiserat, recuperasset. Nam et Landonense castrum Philippo regi calumniabat, et Willelmo Pictavensi Santonicum consulatum; qui timore ejus, duas turres novas Pictavis constituit, unam in urbe ingressu, et aliam prope aulam. Chronicon Turonense de ejusdem Martelli morte: « 1107. Anno i Henrici, et Philippi regis xviii, occisus est Gaufridus Martellus Lande castro, eo quod probus erat, et a noverca sua, Fulcone comite Andecavensi, patre suo, consentiente, et sepultus est in ecclesia Sancti Nicolai Andecavis. » Chronicon brevius Sancti Albini, etsi hac parte mutilatum, rem totam dilucidius narrat: « Quo tempore Goffridus comes Martellus junior exercitum praeparabat, condatum castrum obsidere cupiens. Quo chasso, et ad deditionem hostibus jam coactis, idem comes ab eisdem, quasi fidelitatem ei facere cupientibus, ad colloquium evocatus, sagitta est interfectus xiv Kal. Junii, totusque ejus exercitus caede et insidiis hostium laceratus et dissipatus; cum ingenti totius populi luctu juxta avunculum patris sui in ecclesia Sancti Nicolai Andegavensis sepultus est. » Chronicon Vindocinense refert Martelli mortem ad annum 1106: « Hoc anno apparuit stella, quae modica quidem videbatur, sed magnam et prolixum post se trahere candoris vestigium ab omnibus admirabatur. Quae pluribus diebus ac noctibus tractum suum in occidentem tendere visa, plurimam desolationem protendebat. Nam in ipso anno Goffridus Martellus juvenis comes Andecavorum, debellator ex expuguator tyrannorum, protector et defensor ecclesiarum, in quadam obsidione occisus est. » Optime quidem. At mendosum videtur Chronicon Turonense, quod rejicit in annum sequentem 1107. Quod etiam refellit auctoritate chronici Sancti Florentii et alterius Albini. Sed scrupulum injicit quod legitur in subscriptionibus veteris instrumenti, quod exstat in tabulario Vindocinensi in hunc modum: « Actum hoc in inferiori camera episcopi Andecavensis, anno ab Incarnatione 1105. Inter domnum Goffridum abbatem et Hieremiam filium Fulcherii de Turra concordia facta est, etc. Anno ab Incarnatione Domini 1105. In quo etiam anno traditus est et occisus Goffridus Martellus comes Andecavensis. » Sed tutius erit consentienti conspirantique Chronologorum auctoritati assentiri, quam exscriptoris incerti dubiam fidem sequi. Cujus incertitia eo magis elucet, quod Kalendarium Ecclesiae Andecavensis chronologia suffragatur: « xiv Kal. Junii Goffridus Martellus, junior filius Fulconis, interemptus sagitta in obsidione apud Candetum, anno ab Incarnatione Domini 1106. »

Col. 91, lin. 4. — *Cui filia Helias comitis.* Gesta Comitum Andecavorum in Goffrido Martello II: « Huic Martello Helias comes unicam filiam suam, non adhuc matrimonio aptam, desponsavit, et Cenomanum cum appendiciis ei tribuit. Saepe Martellus cum rege Rufo confixit, multaque municipia in Normannia vastavit et succendit, dum Rex in Anglia moraretur, et Rothbertus comes frater regis in Hierosolymitano cum peregrinis multis maneret. Nam Normanniam rex Rufus in vadimonio habebat. » Idem, licet obscure, innuit chronicon brevius Sancti Albini his verbis: « Anno 1103, cum Fulco Rechin Andecavorum comes, filium suum majorem Goffridum, amore filii sui minoris, multis et magnis consiliis atque molitionibus exhaereditare voluisset, praedictus Goffridus, cognomento Martellus, voluntatem patris sui praesentens, sumpta amicitia cum Helia comite Cenomanensi, contra eum arma corripuit, ac mox Mazonem castellum super patrem suum obsedit, primoque impetu cepit et incendit. Inde contra Willelmum comitem Pictavorum, quem pra-



dictos Fulco cum ingenti exercitu super Andecavos adducebat, audacter præliatus occurrit. Sed Pieta-  
vensibus, antequam ad rem ventum esset, diffu-  
giectibus, Gaufidus inde Andecavis veniens, post  
paucos dies Briolteum castrum obsedit, et cepit. »

Col. 91, lin. 5. — *Aduenit et consensu civium.*  
Quod contigit anno 1098 eo ipso quo consecratus  
Hildebertus. Item chronicon ad annum 1097 : « Se-  
quenti anno Helias comes Cenomanorum captus est  
a Roberto de Belesma, defectione suorum, iv Kal.  
Maii, feria iv, et redditus Willelmo II, regi Anglo-  
rum. Fulcoque Andecavorum comes, Rechin cogno-  
mento, Cenomanicam urbem, ut suam, sequenti  
Sabbato recepit. Quam tribus mensibus retentam,  
Cenomanensibus more suo sibi fraudantibus et a  
se deficientibus, reddidit eam in amicitia præfato  
regi Anglorum, qui ipsam urbem magis pecunia  
quam viribus impugnabat. » Æstivo tempore id  
gestum designat Florentius Wigorniensis : « Anno  
1098, æstatis tempore, rex Anglorum Willelmus  
junior civitatem quæ Cenomania vocatur, magnam-  
que partem illius provincie per vim sue ditioni su-  
begit. »

Col. 91, lin. 8. — *Principis sui præsidio destitu-  
tus.* « Receperat ut suam Fulco, » ait chronicon bre-  
vius ; jure, an injuria, incertum. Cenomani in li-  
mite Andecavie et Cenomanie positi, per oppor-  
tunitates, nunc Andecavenses, nunc Normannorum  
comites jus usurpaverunt, et penes eum possessio  
fuit, qui plus armis valeret. Hoc repetere licet causas  
ab ultimo. Suam jure dicere poterant Andecavenses  
comites, quam Robertus rex Goffrido Grisagonellæ  
et successoribus dono dederat, ut scribit Fulco  
Hierosolymitanus in Gestis comitum Andecaven-  
sicum, cujus verba referuntur etiam in commentario  
Hugonis de Clericis (a), De majoratu et senescalia  
Francie : « David comes Genomanorum, et Goffri-  
dus comes Corboniensis, dedignabantur feudum re-  
cipere suum a prædicto rege, asserentes nullo modo  
se posse subijci generi Burgundionum. Audiens au-  
tem rex eorum superbiam, et videns regni sui non  
parvam diminutionem, habito consilio cum Goffrido  
comite et cum principalibus regni, tempore constituto  
et die nominato, decrevit obsidere castrum Morito-  
nie. Comes vero Goffridus prænocens adventum  
exercitus regis, movens castra de Vindocino, dans  
assultum prædicto castro virtute consueta et probi-  
tate gentis sue, Goffridum comitem et oppidanos  
suos minus timentes cepit, et domino suo regi tra-  
didit. David vero dedignans ad colloquium regis ve-  
nire, mandavit quod nullo modo se regi subjiceret,  
et quod nullo tempore rex Robertus Cenomanicam  
suam videre præsumeret. Audiens autem rex arro-  
gantiam et indignationem prædicti comitis, ipsum  
dedit et Cenomanicam suam Goffrido *Grisago-  
nella* et suis successoribus ex regio dono tribuit jure  
possidendam. » Sic legenda posteriora verba ex ms.  
Ad hæc accedit quod Henricus rex, id curante Ger-  
vasio Cenomanensi antistite, comitatum Cenomani-  
cum dedit in beneficium Goffrido Martello. Pontifi-  
cale Cenomani : « Domino Gervasio in sede residente,  
Herbertus Bacco cepit eum irritare. Videns vero  
præsul suum episcopatum nec per regem, nec per  
seipsum a Baccone posse defendi, petivit quiddam a  
rege Henrico quod utinam non petisset ! scilicet ut  
daret episcopatum Goffrido Andecavorum comiti, so-  
lommmodo dum viveret, ut liberius a comite Ceno-  
manico illum defenderet ; illo autem mortuo, in  
regiam manum rediret. Quod factum verum est in  
malum. Audiens autem Herbertus Bacco, quod ita  
præsul egisset, invidia ductus, accusavit eum apud  
Goffridum comitem, multum deprecans ut ab epi-  
scopatu et honore paterno privaret eum, si posset. »  
Nihil miror Malmesburiensem ambage maligna quo-

A dammodo significantem, Fulconem seniore, Her-  
berto comiti Cenomanensi dolo capto, comitatum  
per vim extorsisse. Sic ait lib. iii in Willelmo I :  
« Fulco senior Herbertum comitem Cenomanensem  
Santonis sponsione urbis illectum, in medio colloquio  
ab apparitoribus arctari, et quibus placuit conditio-  
nibus, irretiri fecit. » Et vero de hujusmodi conditio-  
nibus nihil omnino fragmentum Historie Aquila-  
nicæ, quod exstat tom IV Historie Francie, in quo  
male Arbertus pro Herberto : « Tunc comes Fulco  
dolo accersitum secum adduxit Santonas Arbertum  
nobilissimum comitem Cenomaniæ, et prima Quadra-  
gesimæ Dominica, post cœnam, nocte intempesta  
eum traditione cepit, et in vinculis secum duxit,  
tenuitque eum in carcere biennio. Unde eripere  
eum Dominus dignatus est. Sequenti anno, propter  
ipsum scelus, combusta est ipsa civitas cum sede epis-  
copali, et dein mansit deserta basilica. »

Col. 91, lin. 48. — *Apud castrum Lit.* Castrum  
Lede vocat Goffridus Vindocinensis, lib. iii, epist.  
13, a fluvio non ignobili Leda. Sic enim quoque ap-  
pellatur in Vita Segenfridi Cenom. episcopi : « Et  
villam, quam Dialacum nominant, ultra fluvium  
Ledam. » Qui et Lidus in Vita Josephi : « Lipidus  
supra fluvium Lidum. » Hujus vero loci recessum  
antiquissimum, eo animo captaverat Helias, ut in  
confinio Andecavie et Cenomanie positus, multos  
in partes traheret. Erat autem castrum Lidi ditionis  
Gervasii Helie socii, quod patet ex verbis Kalendarii  
Ecclesie Cenomanensis superius ascriptis.

Col. 91, lin. 53. — *Denique æstate sequenti.* Hujus  
expeditionis meminit Malmesburiensis Historie No-  
vellæ lib. i : « Venit ei subito nuntius a Cenoma-  
nia, dicens ei familiam suam ibi obsideri... Ceno-  
maniam vero petens, Heliam consulem fugavit et sui  
juris esse jussit, et in Angliam rediit. »

Col. 92, lin. 14. — *Quidam autem ex clericis.* Illi  
ipsi qui Ivoni dicuntur esse de majoribus Ecclesie  
Cenomanensis, epist. 277 : « Dicunt quidam de ma-  
joribus Cenomanensis Ecclesie, qui auto actam vi-  
tam suam se nosse testantur. » Scripsisse etenim  
hanc epistolam Hildeberto adhuc electo, certissimis  
argumentis evicit Jacobus Sirmundus, cui parem nos-  
tra ætas haud tulit, ad epist. 13 lib. iii Goffridi Vin-  
docinensis.

Col. 92, lin. 19. — *Aut turres dirueret.* Ad epistolam  
8 Hildeberti, libri ii, ad Joannem et Benedictum ex  
qua hæc pene ad verbum, et 74. Ivonis, quæ Hilde-  
berto inscribitur.

Col. 92, lin. 23. — *Moris pericula.* Eleganter descri-  
bit tempestatem, qua actus, cum in insulam de porta-  
retur, in versibus de suo exilio :

*Inde ratem scando, vitam committo procellis ;  
Vela tument, gemina cimba juvantur ope.  
Portus erat longus, cum ventus fortior æstum  
Movit, et in cumulos Auster aravit aquas.  
Crescit hiems, agit aura ratem, furit unda dehiscens,  
Imbre madet velum, nox tegit atra diem.  
Desperare jubent veni, mare, turbine, fluctu,  
Occursu nubes, ignibus ipse polus.  
In fragilem pinum totus prope congerit iras  
Orbis, et est hostis quidquid obesse potest,  
Dum sic sævit hiems, dum pullet et ipse magister  
Dum stupet, et fieri piscibus esca timet ;  
Kcce rapax turbo, tollens aut sidera fluctus,  
Impulit ad littus jam sine puppe ratem.  
Sic misere felix, quassa rate, rebus ademat, is,  
Evasi ventos, æquora, saxa, Jovem.*

Col. 92, lin. 58. — *Misertus est Dominus.* « Divi-  
natum est virum divina ultione percussum, assumpto  
veritatis argumento, eo quod pauperum extiterat  
intolerabilis oppressor, Ecclesiarum crudelis exa-

ctor, et si quando episcopi vel praelati decederent, irreverentissimus retentor et dissipator, » ait Sugerius in Vita Ludovici. Idem Saresberiensis ubi supra.

Col. 92, lin. 71. — *Willelmus finitimus*. Sugerius de Vita Ludovici Grossi: « Willelmus rex Anglorum, usui militiæ aptus, laudis avarus, famæque petitor, cum, exheredato majore natu Roberto, fratre suo, patri Willelmo feliciter successisset, et post ejusdem fratris sui Hierosolymam profectionem, ducatum Normanniæ obtinisset, sicut ejusdem Normanniæ ducatus se porrigit marchisi regni collimitans, quibuscumque poterat modis famosum juvenem nitebatur impugnare. Similiter et dissimiliter inter eos certabatur; similiter cum neuter cederet, dissimiliter cum ille maturus, iste juvenulus: ille opulentus, et Anglorum thesaurorum profusor, mirabilique militum mercator et solidator; iste peculii expers, patri qui beneficiis regni utebatur, parcendo, sola bonæ indolis industria militiam cogebat; audacter resistebat. » Mortuum Willelmum laudavit versibus Baldricus abbas Burguliensis excusis tomo IV Hist. Franc. p. 257. De ejus morte Hildebertus in Hugone.

Col. 92, lin. 72. — *Quod cum comes Helias*. Tandem Helias comes, inopia morte sublato Willelmo II sub Henrico rege rerum potitus est. Quod etiam agnoscit Malmesburiensis lib. 1 Historiæ Novellæ. « Helias consul Conomaniæ, qui eam sub Henrico rege tenebat, ex vita privatus est. » Et lubet arbitrari haud invitissimo Henrico tenuisse et possedisse; is enim Helias opera usus ad impugnandos Bajocasses legitur in chronico brevi Sancti Albini: « 1105. Sequenti anno prædictus Gaufridus Martellus, rogatu Henrici regis Anglorum et Helias comitis, in Neustriam cum exercitu perrexit, et Bacuss urbem uno impetu cepit et incendit. »

Col. 93, lin. 8. — *Pacata igitur civitate Romam profectus*. Fallitur ergo eminentissimus Baronius, qui profectionem Hildeberti incidisse in annum 1107 (a) conjicit. Qui error graviolem creavit, ut ad epistolam 19 docebimus.

Col. 93, lin. 13. — *Ipsè dux Apuliæ*. Notiores sunt Rogerius dux Apuliæ, et Rogerius comes Siciliæ, quam, ut de iis quidquam dici debeat. Adenudi, præter vulgares rerum Sicularum scriptores, Gaufridus monachus, qui Rogerii comitis precibus adductus, quatuor libros scripsit de acquisitione Siciliæ, et Alexander abbas, qui totidem libris res gestas Rogerii scripsit.

Col. 93, lin. 14. — *Avunculus ejus comes Siciliæ*. Gaufridus monachus, lib. IV, cap. 17: « Anno 1091, Rogerius dux contra Consentinos diu rebelles indignatus, exercitu ab omni Apulia coadunato, fratre Boamundo secum accepto, ipsos mense Maio obsessum ire disponens, avunculum comitem a Sicilia, ut sibi auxilium ferendo illuc occurrere non differat, invitat. Ille amore nepotis, ab omni Sicilia multa Sarracenorum millia excitans, sed et militum copias conducens, quo invitabatur haud segniter accelerat. » Mox: « Dux avunculi sui strenuitate urbe potitur; » et passim. Sed nescio quam ob rem Rogerius comes Siciliæ appellatur homo ducis Apuliæ ab Edinero, lib. II De vita Anselmi Cantuariensis archiepiscopi: « Humanitas Anselmi sine personarum acceptione suscipiebat omnes. Et quos omnes? Paganos etiam, ut de Christianis taceam. Siquidem nonnulli talium; nam eorum multa millia in ipsam expeditionem homo ducis Rogerus, comes de Sicilia. »

Col. 93, lin. 15. — *Multam auri et argenti*. Kalendarium Ecclesiæ Cenoman.: « XVI Kal. Aug. obiit Robertus Guiscardus dux Apuliæ. Pro cuius, animæ remedio, Rogerius filius dux Apuliæ per Hildebertum episcopum varia munera de Apulia transmisit. »

(a) Vide Vitam.

Porro Rotgerii ducis Apuliæ liberalitatem miris laudibus prædicat Baldricus abbas Burguliensis, in poemate de duce Rotgerio, quod exstat tomo IV Hist. Franciæ, ubi:

*Namque tuum nomen lotum vulgatur in orbem,  
Vel quia multæ stipendia fundis opima,  
Vel quia tractas rem consultus homo popularem,  
Quæ stat firma tuis non concutienda vicibus;  
Sive quod Ecclesias immenso munere ditas,  
Sive quod invitas hac tempestate Camænas  
Dapsilitate tua, ne possit Apollo tacere.*

Nulla fere in Galliarum tractu celebris ecclesia, quam non regali munere donarit. Quod contestantur passim kalendaria, in quibus, ex more, dies obitus eorum, quorum opibus ditatæ ecclesiæ fuerant, ascribebatur, quo munera annuarum precum muneribus pensarentur. Ita ne, nec ejus liberalitatis expers terrarum ultima Armorica fuerit. Kalendarium Redonense: « V Kal. Martii obiit Rogerius dux Apuliæ. » Munificentia comitis Siciliæ commendatur similiter præconio sancti Bernardi, quem, videas epist. 207. Nihil non sibi ab ipso, jam rege, sperandum opinatur Petrus Venerabilis epistola 3, lib. II; auctor anonymus Vitæ Paschalis I tomo XII Annal. ecclesiæ. ad annum 1100 numero 18, de eo ipso: « Legati Rogerii comitis in urbem veniunt, curiam intrant, ex more, parte comitis officiosissime papam salutant et resalutant; atque inclinati, ad pedes ejus, posuerunt auri uncias mille. Id tam devote susceptum est, quam opportune mandatum. » De muneribus quæ per Hildebertum Ecclesiæ Cenomanensi destinaverat, Kalendarium Cenoman.: « X Kal. Julii obiit Rogerus comes Siciliæ, qui ad faciendum opus ecclesiæ Beati Juliani c uncias auri, et canonicis x libras Cenomanensis monete per manus Hildeberti pontificis de Sicilia transmisit. »

Col. 93, lin. 14. — *Aula domni Gervasii*. Gervasius ipse erit interpretis vice. Scribit enim in charta donationis, quæ Vitæ ejus subjicitur in pontificali Cenomanensi: « Concedoque vobis illam aulam patris mei, sitam in ejusdem prædio, in orientali scilicet civitatis angulo, cum omnibus aris indomiticis, infra et extra murum circumquaque adjunctis, cum nemore ad constituendas claustrum officinas, ad quod edificandum elaborare nitor, ut ibi Domino regulariter et canonicè studentia militare, in qua sacratissimam Dei ecclesiam Sancti Salvatoris antiquitus fundatam reedificavi atque decoravi, quam devotissime obsecro venerari. »

Ibid. — *Domni Gervasii*. Cenomanensis episcopi, Avesgandi nepotis ex sorore, et successoris. Auctor Vitæ Gervasii: « Dominus Gervasius, vir nulli in regno sapientia et honestate secundus, sedem Avesgandi avunculi sui gaudenter suscepit. Qui cum esset benedictionem adeptus, Herbertus comes, prænomine Bacco, avunculus Herberti, qui fuit temporibus Avesgandi episcopi, invidiæ stimulo inflammatus, eo quod rebus ditior, vel melior illo diceretur a multis, simulque causa invadendi thesaurum Sancti Juliani, per duos annos aditum intrandi prohibuit ei. Expleto autem duorum annorum spatio, recepit eum in sede Herbertus Bacco, Haimonis et Hildeburgis filius. » Kalendarium Ecclesiæ Cenomanensis: « IV Non. Jul. obiit Cenomanensis antistes Gervasius, Remensium post archiepiscopus. Qui præter alia quæ clero suo contulit, dedit illi mediætatem thesauri Beati Juliani, Haimonis et Hildeburgæ filius. » Ipse Gervasius in charta donationis: « Pro magna mei mole peccaminum indulgentia, sanctique antecessoris et avunculi mei Avesgandi requie impetranda, cæterorumque antecessorum nostrorum hujus sedis episcoporum, necnon genitoris cum genitrice mea, Haimonis et Hil-

deburga. » Hildeburga autem soror primogenita Avegaudi erat, ait auctor Vitæ Avegaudi. Et genus ducebant a comitibus Belisimensibus. » Petivit præsul, ait idem auctor, Belisimum fratris sui Guillelmi castellum. » Halmo vero Gervasii pater genere dominorum castri Lidi prognatus videtur. Quod ipse Gervasius profletur in charta donationis jam laudata: « Univeras quoque consuetudines vobis trado, quas a vestris terris patri meo persolvebantur, pertinentes ad ejusdem castrum Lit vocatum. » Goffridus Martellus, cujus partes Gervasius tutatus fuerat, animum et sententiam mutantem vinculis coercuit. Auctor Vitæ Gervasii: « Videns ergo Goffridus, quod consilio domni Gervasii episcopi, ad ruinam et detrimentum suum, Hugo comes uxorem fortiselmam duxisset, Judam portans in pectore, mandavit in dolo Gervasium episcopum, ut traderet eum; quem traditum misit in carcerem, ac tenuit eum in vinculis usque ad septem annos. » Tandem liberatus Gervasius, Henrici regis beneficio altiore gradum ascendit, archiepiscopus Remensis renuntiatus. Idem auctor: « Comes Goffridus Gervasium de carcere exire permisit, tali videlicet sacramento, ut quoad ipse Goffridus adviveret, intra civitatem Cenomanicam Gervasius non intraret. Cum vero videret præsul quod neque in urbem, neque in castellum suum, posset intrare, abiit ad Willelmum Normanniæ comitem, ac quidquid ei Goffridus fecit, vel quomodo eum tradidit, illi moerens retulit. Quod cum audisset Willelmus comes, misericordia motus, dedit ei aurum et argentum, castella fortia, et dona largissima. Dum autem præsul Gervasius in Normannia apud comitem moraretur, accidit ut Wido Remensis Ecclesiæ archipræsuli moreretur. Audito autem a rege Henrico, quod mortuus esset Wido, dedit archipræsulatum præsuli Gervasio, qui gaudens suscepit illum, postquam viginti annos Cenomanicam rexerat Ecclesiam. » Quo vero anno ex Cenomanensi in Remensem translatus fuerit, colligitur ex actis consecrationis Philippi I, ex quibus constat Philippum anno 1059 anno scilicet quarto episcopatus Gervasii, in locum Henrici patris inauguratum. Subductis igitur iv annis, translatio incidit in annum 1055. Gervasius autem captata consecrationis regis septennis occasione, inter mortua, ut illi videbatur, Ecclesiæ Remensis jura, crepivit; et obtinuit ut haberetur, eo plane modo quo decessores, summus Franciæ cancellarius, eaque dignitas archiepiscopatus attribueretur. Acta consecrationis: « Subscripsit etiam archiepiscopus. Nam ibi constituit eum summum cancellarium, sicut antecessores sui antecessores suos fecerant. Et ita consecravit eum in regem. » Liber De ratione temporum: « His et cæteris astantibus, Gervasius verbum habuit coram rege, quia esse deberet, sicut sui antecessores fuerant, summus regis cancellarius. Quod eodem rege gratissime annuente, et cæteris conniventibus, prædictus pontifex sibi et Ecclesiæ suæ obtinuit. Scilicet quia verum sit quod ab antiquo ita fuerit, legitur in præceptione præcepti, quod Carolus rex de rebus Sanctæ Walburgis fecerat hoc modo: Goslenus cancellarius scripsit et subscripsit ad vicem Herivel archiepiscopi, summique cancellarii. Gervasius vero octavus fuit archiepiscopus post Heriveum. » Argumentum sane frigidum et vanum. Sed hæc non sunt hujus loci. Exstant 22 epistolæ Stephani X, Nicolai II et Alexandri itidem II, ad Gervasium jam Remensem archiepiscopum scriptæ, insertæ tomo IV Historiæ Franciæ, ex quibus, tanquam ex plenioribus commentariis, gesta Gervasii in archiepiscopatu excerpere licet, si libet. Hac vita defunctus iv Nonas Julii, ut habetur in Martyrologio.

Col. 93, lin. 51. — Comes Helias sepulcrum. Martyrologium Cenomanense paululum diversum ab eo, cujus verba protuli superius: « v Idus Jul. obiit Cenomanorum comes Helias, qui in introitu sui

A consulatus, huic sanctæ matri Ecclesiæ concessit quidquid Hugo comes ejus antecessor, marchisi filius, Hoello bonæ memoriæ episcopo, pro damnis et illatis sibi contulerat injuriis, scilicet diabladium, consuetudines, exactiones, et quæcunque in clauastro et in episcopalibus domibus, et apud Colonias, eum etiam in tota terra canonicorum quæ infra Quintam continetur, quæ idem Cenomanensis consul excepto incendio et rapto juste et injuste obtinere dicebatur. Concessit etiam quidquid ejus socer Gervasius de castro Lit in terra episcopi et canonicorum, quæ ultra Idoneam fluvium est, Beato contulit Juliano. In reedificatione autem hujus ecclesiæ, præter alia multa dona cxlvii aureos dedit. Ad suggestionem Hildeberti, Beati Juliani lectum, in quo nunc sanctissimæ ejus membra requiescunt, ex argento fecit et auro. Idem præterea, viam universæ carnis ingrediens, ad faciendam unam crucem cyphum xl et viii unciarum puri auri, et ad componendum thuribulum quotidianum duas marcas argenti, et canonicis quinque marcas donans. Cujus anima gaudiis fruatur paradisi. » Cæterum Martyrologium sepulcrum vocat lectum, ut Sugerius lib. De consecratione Ecclesiæ Sancti Dionysii, « lecticam: Sacratissimas eorum lecticas, præcipue dominorum, ornatum iri votiva animabamur. »

B Col. 93, lin. 65. — Ab omnibus custumis. Confirmavit et comprobavit tantum quæ Hugo comes dederat, ait Martyrol. Quid autem dedisset explicat in Hoello: « Et quia idem comes maxima ei damna intulerat, ob restorationem eorum damnorum, domos ipsius atque cellaria, claustrumque ipsius Ecclesiæ per circuitum, et quamdam villam, quam Colonias nominant, et aliam villam canonicorum, quæ Mantula dicitur, ab omni publica consuetudine atque exactione liberas atque immunes fecit, et diabladium quod inde accipiebatur, et reliqua omnia quæ ad faciem ejus pertinere videbantur, procerum suorum consilio atque astipulatione remisit, et Beato Juliano futurisque episcopis perpetualiter reliquit atque concessit. Et ne aliquis successorum suorum institutionem ejus, ipsamque immunitatem de reliquo destruere aut depravare præsumeret, pro corroboratione ejusdem facti, totam Ecclesiam per gyrum simul cum clauastro et sedibus pontificatus, publica processione, et aqua benedicta, omni populo prosequente, circumdari, prætaxari fecit. Deinde Ecclesiam cum eodem episcopo ingressus, remissionem atque immunitatem quam ecclesiæ fecerat, clero Beati Juliani, utraque Sancti Petri tam clericorum quam monachorum congregatione, omni-que populo audiente, atque eodem episcopo recitante, promulgari præcepit, sicut in ejusdem episcopi descriptionibus habetur insertum. »

C Col. 54, lin. 20. — Qui canonici non erant. Erant sacerdotes in ecclesiis cathedralibus, qui canonicis vicariam operam impendebant. In Ecclesia Trecensi vocabantur canonici presbyteri, ut patet ex litteris Manassis episcopi Trecensis, quæ exstant in prompt. antiq. Tricarsinarum, et canonici sacerdotes in aliis ejusdem Manassis. Quorum semipræbendas vacantes canonicis accrescere Manasses similiter instituit: « Nullus de aliqua præbendarum illarum poterit investiri, quousque ad sacerdotium promotus fuerit; cum vero aliquam earum vacare contigerit, reliqui canonici qui supererant, vacantis fructus præbendæ, quousque canonicus substitutus sit, percipient. » Econtra statuit Hildebertus, ut majorum præbendarum vacantium fructus emolumento essent sacerdotibus quos vicarios et semipræbendatos esse nullus dubito. Annatæ jure vacantibus antea fruebantur Cenomanenses episcopi, ut vel ex hoc loco satis claret.

D Col. 98, lin. 11. — Per longa tempora protractum. Quartus enim fuit a Wolgrino, qui fundamenta matris Ecclesiæ jecerat. Pontificale in Wolgrino: « Qui quamvis pauperior et humilior antecessoribus epi-

scopis fuerit, tamen majora opera exercere tentavit. Quinto namque ordinationis suae anno, fundamenta matris Ecclesiae ampliora quam fuerant inchoavit sed morte inopina superveniente, perficere non potuit. » In Arnaldo : « Qui cum aliquo tempore in pontificali cathedra resideret, fabricam novae Ecclesiae, quam praesul Vulgrinus inchoaverat, fundamentorum mobilitate atque lapidum debilitate corruptam, innumera crepidine ruinam sui cepit terribiliter minitari : quam cum artifices fulcire conantur, repentino fragore nocturno tempore collapsa est. Erat autem ipsius fabricae arcus maximus super criptam, in qua beatissimi Juliani corpus quiescebat, extractus, hinc atque inde pyramidibus ingenti altitudine collocatis. Ibi itaque sanctissimi confessoris virtus indubitanter euitit, dum tantae molis machina subito corruente, ita basilicae ipsius tectum, quo sancti membra tegebantur, integrum atque incolume permaneret, ut ne minima quidem ipsius tecti scintilla ruinae tam terribilis ictibus laederetur. Inde jam dictus episcopus totam cepti operis fabricam usque ad ima fundamenta destruens, denuo ipsam ecclesiam fundamento firmiori et solidiori lapide construere cepit ; et parti superiori, quae vulgo cancellum nominatur, etiam tectum imposuit, membrorum quoque, quae cruces vocantur, atque turrium solidissima fundamenta, antequam moreretur, instituens. » Et in fine : « Quae videlicet tantos sumptus, tantum studium exposcebat, ut exaginta annorum spatio nequaquam consummari potuerit. » Quid Hoellus pro sua virili parte praestiterit narrat auctor Vitae : « Continuo fabricam novae Ecclesiae, in qua antecessores ejus multo tempore laboraverant, tanto studio agressus est consummare, ut cruces atque turres, quarum antecessor ipsius, ut supra ostensum est, jecerat fundamenta, brevi tempore ad effectum perduxerit, eisque celeriter culmen imponens, exteriores etiam parietes, quos alas vocant, per circuitum consummavit. Sed et cancellum, quod ejus antecessor construxerat, pavimento decoravit et caelo. Vitreas quoque et ipsum cancellum, per quae cruces circumquaque laudabili, sed sumptuosa nimium artis varietate disponens. » Subjungit multis interjectis : « Episcopus autem, tranquillitate recepta, in constructione novae Ecclesiae, quae propter ejus desolationem penitus intermissa fuerat, eummo cepit studio laborare, et ad transferendas sanctorum reliquias, superiores partes ejusdem basilicae diligenti sollicitudine praeparare : oratorium scilicet, quod chorum vocitant, sedemque pontificalem ; altaria quoque congrua dimensione disponere, pavimenta substernere, columnas ac laquearia gratissima varietate depingere, parietes per circuitum dealbare, nihil omnino praetermittere, quod aut usui fore crederet, aut decori ; hoc praecipue sollicitus, ne quid in tota fabrica adventantium conspectibus displiceret. Omnibus itaque elegantissime praeparatis, ad sanctorum translationem archiepiscopum Turonensem, et vicinarum urbium honestiores personas convocare curavit, quatenus eorum praesentia, et solemnitas celebrior, et populis efficeretur devotior. Translatum est autem sanctissimum corpus beati Juliani, et aliorum sanctorum reliquiae, in eandem basilicam xvi Kal. Nov., anno ab Incarnatione Domini 1093, ordinationis autem ejusdem episcopi viii. In qua videlicet die, si Deus sibi vitam concederet, ipsam statuerat basilicam dedicare. Ad hanc vero translationem et solemnitatem tanta non solum ex nostra regione, sed et ex circumjacentibus provinciis, populorum multitudo noscitur convenisse, ut nullus nostrae aetatis tantam aliquando se vidisse memnerit. »

Col. 98, lin. 15. — *Consecravit anno 1120.* Longe fallitur opinione Ordericus Vitalis, qui lib. x Hist.

A Eccles. scribit temporibus Guidonis successoris ab Hildeberto, cum archiepiscopo Turonensi, dedicatam matrem Ecclesiam urbis Cenomaneus ; cum pontificatum Guido interit tantum anno 1126. Haec illius verba : « Ecclesiam S. Gervasii, ubi corpus eximii confessoris Christi Juliani requiescit, multis modis laudabiliter decoravit : quam postmodum tempore Guimari Britonis successoris sui, qui alio nomine Guido de Stampis appellatur, dedicavit. Verum, peccatis exigentibus, quam honorum exercitatio affatim decoravit, variisque ad honorem Dei ornamentis ditavit, post viii annos dedicationis, incendium, quo magna pars urbis consumpta est, deturpavit, horribilique modo devastavit. » Accidit autem incendium istud anno 1134, ut ipsemet testatur lib. xiv, et auctor breviarii Vitae Guidonis. Coarguit errorem Orderici tempus primae protectionis Hierosolymitanae comitis Fulconis, quae incidit in annum itidem 1120. Sed argumentis opus non est, cum Ordericum errorem confitentem, et sibi ipsi adversantem, habeamus. Is igitur lib. iv sic ait : « Quo defuncto, egregius versificator Hildebertus successit, et fere xxx annis praesulatum laudabiliter tenuit. Basilicam vero episcopi, quam praedecessor ejus inchoaverat, consummavit, et cum ingenti populorum tripudio veneranter dedicavit. Qui non multo post, anno scilicet ab Incarnatione 1125 metropolitanae sedem ascendit. »

Col. 98, lin. 24. — *Gislebertus.* Archiepiscopatum Turonensem iniiit anno 1119. Chronicon Turonense ad annum 1119 : « Tunc obiit Radulphus Turonensis archiepiscopus, cui successit Gislebertus. » Quo demum mortuo, Hildebertus locum ejus subiit. Idem chronicon ad annum 1127 : « Anno i Lotharii obiit Gislebertus Turonensis archiepiscopus, cui successit Hildebertus. » Ordericus Vitalis lib. x, sed sine ulla temporis nota : « Hildebertus post mortem Gisleberti Turonensis archiepiscopi, a clero et populo electus est, nutuque Dei de Cenomanico culmine metropolitanae sedem adeptus est. » Apertius omnino lib. iv, ubi de Hildeberto : « Qui non multo post, anno scilicet ab Incarnatione 1125, indictione iv, ut Gislebertus Turonensis archiepiscopus cum Calisto papa Romae obiit, » etc. De eo plura Historia dominorum Ambasiae in notis ad epist. 2, lib. v epistol. Goffr. Vindocinensis. Adi, si ortam ex Gisleberti electione contentionem, et quam graviter Ecclesia Turonensis inde exagitata fuerit, nosse cupis. De Gisleberto ejus nepote Ivo epist. 201.

Ibid. — *Turonensis archiepiscopus.* Metropolitanus cum vicinis et sibi subjectis episcopis Ecclesiae Cenomanensis consecrationem agitavit. Observandum jam a prima Ecclesiae adolescentia, magno episcoporum conventu eucaniorum dies festos peragi solere exploratissimum esse. Quanta enim episcoporum frequentia celebrata Ecclesiae Hierosolymitanae consecratio fuerit, constat ex Eusebio lib. iv. De Vita Constantini, cap. 43. Antiochenae etiam Ecclesiae dedicationem nonaginta episcoporum praesentia ornatam refert Socrates lib. ii, cap. 8 Hist. ecclesiast. Quo loci animadvertit Julium episcopum Romanum abfuisse, sine cujus sententia ait non licuisse *ἐκκλησιαστικῶν κεινυμένων* ; quod perperam quidam interpretantur de ecclesiarum dedicatione. Sed praetextu dedicationis, Eusebius, cum imperatoris auspiciis, concilium in Athanasium et formulam fidei Nicenam coegisset, id frustra et temere factum pronuntiat, cum sine scientia et conscientia Romani episcopi cuiquam liceat leges ecclesiasticas condere vel abrogare ; quod est *κωνοτικόν*. Non est quod summan horum solemnium potestatem penes episcopum Romanum quondam fuisse negem. Certe nefas erat, ejus auctoritate non intercedente, ecclesias dedicare et consecrare (a). Gelasius can. De

(a) Vide Martenium *Tr. de Antiq. Ritibus*, cap. 13,

*locorum.* De consecrat., dist. 1. Absque præcepto sedis apostolicæ. » Idem can. *Præcepta*, ead. dist. 1 : « Sine summi principis auctoritate ecclesiam noviter conditam non posse dedicari. » Et can. *Basilicas*, ead. : « Non petitis ex more præceptionibus. » Sed quæ tandem ista præcepta? Formatae, quibus id, petentibus *oblatores*, ut ita cum Ennodio dictione 3 loquar, episcopis in suis diocesisibus permittebat summus pontifex. Quarum exemplum habes in can. *Picæ mentis* 16, quæst. 7. Exemplar vero subjicio, ex quo suas formatas pontifices Romani exprimebant, una cum formula *petitorum oblationis*, vel *petitorii*, ut loquitur idem Gelasius can. *Certum*, De consecratione, dist. 1.

*Petitio dedicationis oratorii.*

« Domino sanctissimo et beatissimo Patri Patrum III papæ, Ille famulus vester. Ad augmentum catholicæ religionis pertinet, quoties in honore sanctorum loca venerabilia divino cultui consecrantur. In prædio quidem *ill...* [ille, sive talis] juris mei basilicam sumptu proprio, me suggero construxisse, quam in honorem sanctorum *ill...* vel *ill...* Martyrum, desiderio consecrari. Cui basilicæ ad luminaria, vel ad alia, onias ibidem servientibus offero *ill...* et *ill...* Quapropter quæro apostolorum vestrum, uti datis præceptionibus vestris ad *ill...* civitatis *ill...* antistitem, quatenus supra memoratam basilicam debeat sacrosanctis mysteriis consecrari; ut hoc facto beatitudinis vestræ temporibus, sancta veneratio sumat augmentum. Promitto pariter nihil mihi de eodem loco ulterius vindicandum, nisi processionis gratia, quæ Christianis omnibus in commune debetur. Pari prece depono, ut datis assatibus vestris ad illum *ill...* civitatis episcopum, quatenus possit mihi reliquias supra memoratorum sanctorum solemniter contradere. »

*Responsum oratorii dedicandi.*

« *ill...* petitorii nobis insinuatione suggestit quod habetur in subditis, in fundo *ill...* juris, *ill...* Oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honore sancti *ill...* desiderat consecrari. Et ideo, frater beatissime, si in tua parochia memorata constructio jure consistit, et nullum corpus ibi constat humatum, percepta, primitus donatione legitima, id est *ill...* et *ill...* vel *ill...* præstantes liberos a fiscalibus titulis solidos tot; gestisque municipalibus allegatis, prædictum Oratorium absque missis publicis solemniter consecrabit. Ita ut in eodem loco, nec futuris temporibus, baptisteria construant, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed et si missas fieri sibi fortasse maluerit,

(a) Non igitur ego primus nec super *antiquissima et sanctissima familia* claritati studui, quam ante annum 1655, quod circiter obiit, nunquam sic appellasset cl. D. Loyauté, vir alioquin æquitatis et veritatis lenacissimus, nisi præ manibus probationes suæ assertionis habuisset. *Antiquissimam* autem jure ac merito vocare potuit, quam constat jam anno 1130, inter præcipuas, Armoricæ familias celebratam, in Petro scilicet Marboeuf, milite, domino Stagni, sponso Joannæ Chabot, sororis Theobaudi Chabot, domini de la Rochecervièrre, qui illi ex diplomate anni illius 1230, nobis ex archivis Marbodorum authentice exhibito, in supplementum dotis et jaris nuptialis sororis suæ, ut loquitur, dilectæ, de consensu fratrum suorum Girardi et Sabrehandi Chabot, concedit facultatem succidendorum quorumcunque lignorum in foresta sua de la Rochecervièrre. Cujus porro concessionis confirmationem a Joanne Marboeuf postulatam ab Hervæo de Volvire, sive de Fresnoy et de la Rochecervièrre, nisi postquam idem Joannes Marboeuf probavit juridice se de primogenito in primogenitum in recta linea a prædicto Petro Marboeuf originem duxisse, per Theobaldum scilicet Marboeuf patrem suum, per Richardum

a dilectione tua noverit presbyterum postulandum. Quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote nullatenus præsumatur. Sanctuaria vero suscepta sui cum reverentia collocabis. »

Cessit in omnibus Ecclesiæ Romanæ majestati Gallicana, et fasces volens submitit; sed ecclesias consecrandi potestatem, quæ jure sacerdotii compete-  
tebat, vix aut ullo modo imminui aut corrumpi passa est. Nec prisca illi moris et instituti episcopi imminentes in suam disciplinam emissarios ferre poterunt. Habes exemplum illustre apud Glabrum Rodolphum Historiæ lib. 11, cap. 4, quod solidum suis commentariis auctor Gestorum comitum Andecavensium inseruit; quod illi valde familiare.

Col. 98, lin. 30. — *Gaufridus Rothomagensis*. Gente Brito fuit, frater episcopi Aletensis Judicail, primum decanus Ecclesiæ Cenomanensis, et Hildeberti in episcopatu competitor. Ordericus Vitalis lib. x : « Helias comes Gaufridum Britonem decanum ejusdem ecclesiæ, ad episcopatum elegit; sed præveniens clerus, Hildebertum de Lavarceio archidiaconum, in cathedra pontificali residere compulit, et alta voce cum jubilatione tripudians cantavit: *Te Deum laudamus*, et cætera quæ usus in electione præsulis exposcit ecclesiasticus. Quod Helias ut comperit, valde iratus, resistere voluit. Sed clericis dicentibus illi: Electionem tuam ecclesiasticæ præferre non debes electioni, reveritus, quia Deum timebat, siluit, et ne lethale in membris Ecclesiæ schisma fieret, canonicis consensit. Gaufridus quippe de præsulatu jam securus erat, jamque copiosæ dapes ab avidis comessoribus consumptæ sunt. Sed ipsum Cenomani episcopum habere petitus recusarunt. Is Judicail pontificis Aletæ frater fuit, et post obitum Guillelmi Rothomagensis archiepiscopi xvii annis præfuit. » Gemmelicensis lib. viii, cap. 17 : « Mortuo Wilhelmo Rothomagensi archiepiscopo, eandem pontificatus sedem adeptus est Gaufridus decanus Cenomanensis. » Ad Gaufridum hunc adhuc Cenomanensem decanum, exstat Ivonis Carnotensis epistola 52. Interfuit Hildeberti consecrationi, ut ex tabulis chartularii Prullincensis supra observavimus. Anno 1125 obiisse; diem autem obitus ejus refert Kalendarium Cenomanense ad iv Kal. Decembris, his verbis : « iv Kal. Decembris obiit Gaufridus, hujus Ecclesiæ canonicus, post Rothomagensis archiepiscopus. » Miror decanum nullam mentionem fieri, cum sit in confesso apud omnes auctores.

Col. 98, lin. 40. — *Marbodus*. De Marbodo plura, Deo dante, alias, cum ejus opera edemus; hanc enim *ab antiquissima et sanctissima parente patriæ* inire gratiam incedit animo (a).

avum suum, per Hubertum proavum, filium primogenitum dicti Petri Marboeuf avi, de quo in illo diplomate anni 1230. Hæc autem concessionis illius confirmatio data est 27 Martii anni 1304, quo vigeat præfatus Joannes Marboeuf, ex quo per avum et proavum ortus est Simon Marboeuf, qui in nova Britannicæ Historia (t. II, pag. 965, 967 et 968,) nuper excusa, undecimus nominatur inter sexaginta aut amplius illustriores Britannicæ proceres ac duces, seu capitaneos, ab ipso Britannicæ duce destinatos ad comitatum honorarium Richardi a Britannia, ducis ipsius fratris, pro legatione meditata ad Carolum VI, Francorum regem anno 1419, a quo anno per sequentes avos et proavos usque ad hæc tempora propagatio in recta linea non esset difficile probanda.

*Antiquissimam* igitur D. Loyauté merito potuit dicere Marbodorum familiam, cujus originem septingentorum pene sciebat annorum.

Quod autem illam etiam *sanctissimam* appellaverit, non est probabile id sine probatione virum æqui et veri observantissimum patronum asseruisse. Certe negari non potest quin *sanctissima* fuerit, saltem in radice; siquidem Marbodus, a quo,

Col. 98, lin. 47. — *Reginaudus*. Is ipse Reginaldus, de quo plura ad epistolam [f. 5, lib. II, al. 12.]

Col. 98, lin. 53. — *Hæc autem consecratio*, etc. Præcipua et potissima dedicationis solemnitas, altarium consecrationes fuere. Nulla enim ecclesia dedicari potuit sine alicujus altaris consecratione, ut docet Anselmus lib. III, epist. ult. : « Nec Ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis aut alicujus alterius in eadem ecclesia. » Et motu altari præcipuo, iterato consecrandam Ecclesiam præcipit can. 5 concilii Meldensis, quem vide apud Ivonem epist. 73 et 80. Rationem hanc adducit Anselmus : « Altare non fit propter ecclesiam, sed ecclesia propter altare ; et ideo violato principali altari, jam non videtur esse ecclesia, quia non est illud propter quod ecclesia construitur, et consecratur. Quapropter cum illud sit novum, recte videtur cum eo consecrari, per quod recipit, ut sit ecclesia. » Quo autem ritu ecclesie vel altaria, cæcis illis Ecclesie temporibus, vel postquam sæva militibus cessare, consecrarentur, monet vetus Liber ritualis ecclesie Gallicanæ, cujus verba, qui ad hæc illustranda maxime pertinent, appingere placuit : « Consecrationes altarium et ecclesiarum, secundum ritum quem tenet Ecclesia Romana, Silvester papa primus instituit. Fuisse tamen ab ipsis apostolorum temporibus loca Deo dicata, quæ a quibusdam oratoria, a quibusdam vero Ecclesie appellabantur, ubi collectæ fierent per unam Sabbati, et in quibus populus ad audiendum Christianum verbum Dei, et ad percipiendum Dominicæ corporis ex sanguinis sacramentum, et sanctorum apostolorum edoceremur epistolis, et sanctorum Patrum institueremur gestis. Quæ licet salibus, exorcizabantur, tamen non chrismate ungebantur, neque altare stabat lapideum erectum in titulum, in figura Domini nostri Jesu Christi chrismate delibutum, id est altare nostrum, et sacerdos, et hostia. Postquam vero Constantinus, qui monarchiam tenebat imperii, a beato Silvestro baptisati meruit purificari sacramento ; tunc primum lege ab ipso promulgata concessum est ab omnibus sub Romano imperio degentibus licite Ecclesias fabricare. » Al-

ut sæpe contigit, utpote tunc celebriori, ejus tota familia, gentilitio *Pelliciarum* nomine relicto, nomen sumpsit, adeo sancte vixit in episcopatu, tam sancte, ipso abdicato, apud Sanctum Albinum monachus obiit, ut inter sanctos Gallie ab illustrissimo Tullensi episcopo in suo Gallicano Martyrologio, III Idus Septembris sit relatus. Cum vero et forum ipsum civile sanctitatem etiam suam habeat, quæ in recta justitie administratione consistit, nil ob stare videtur quominus sanctissimam vocare potuerit familiam illam, quæ per temporum ab origine sua successiones, supremæ Britannie curiæ Redonensi, sicut et urbi, tot protulit insignes magistratus, et sibi succedentes præsidis integritate conspicuos, et inde in professione sua sanctos, qui cum multoties pro patria, ad fortunarum et vitæ ipsius periculum, decertaverint, aut laboraverint, non immerito potuerunt a præfato D. Loyauté patrono sane integerrimo, vocari *patriæ parentes*.

Quod autem hic occasione notarum ejus in Hildeberti vitam notavimus, nec rogatos nos, sed nec ullo quolibet modo, sive verbo, sive scripto, monitos fuisse profiteremur ; sed motu proprio, et solum a recordatione benevolentie singularis, qua nos olim, anno scilicet 1854 Remis degentes, prosequi et ornare dignatus est illustrissimus tunc præses de Marboeuf, dum ibi publicorum causa negotiorum hospitaretur : a quo tempore usque modo nullum nec personale, nec per unius quidem litterulæ apicem cum ullo ex illa nobili familia contingit sortitos esse commercium ; ad hoc solum moti, quod iterum asserimus, desiderio testificandæ venerationis, qua illustrissimi præsidis memoriam hucusque co-

lata e fonte sacro aspergere mos erat, dein chrismate inungere. Rabanus Maurus De instit. cleric. II, cap. 45 : « Quod vero altare post aspersionem aque chrismate perungitur, ad imitationem patriarchæ Jacob factum est : qui post visionem illam terribilem, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper ; vocans locum domus Dei. » Quæ baptismati æquiparat Eupodius dictione 2 : « Veni ergo, piissime Domine, et ad consecrationem operis tui plenus illabere, vice humani per baptismum corporis purgantur hæc templa. » His rite peractis, fiebat « de sæde sacramentum, de terrena habitatione cælestis collegium, » sit idem dictione 4.

Ibid. — *Majus altare*. Ex cujus consecratione fere totius solemnitas consummatio pendet, ut videtur Anselmo, cui dicitur *principale altare* ; ut Sogero lib. De consecratione ecclesie Sancti Dionysii, *principalis ara*. In chartulario Vindocinensi passim *altare dominicum*. Sicut missa publica, *dominica* appellatur a Gervasio Cenomanensi episcopo : « Ne quis canonicorum dominicam aut privatam missam celebrare præsumat, » etc.

Ibid. — *Crypta*. Aliena a proprietate vocabuli notione usurpatur. Est enim subterraneus, sacer, testudinatus locus, qualis pene ob oculos subjicitur, his Prudentii versibus :

*Mensa latebrosa crypta patet foveis.*

*Hujus in occultum gradibus, via prona, reflexis  
Ire per anfractus, luce latente, docet, etc.*

Gregorius Turonensis De mirac. c. 33 : « Beati Petri apostoli basilicam ingressa est. Hujus enim altare, positus in altum pulpitis, locatum habetur ; cujus pars inferior in modum cryptæ ostio clauditur habens nihilominus et ipsa, cum sanctorum pignoribus, altare suum. In hanc venerabilis mulier ad accendendum, ut diximus, lumen, devota descendit. » Idem pro ædicula c. 38 : « Crypta super eam miro opere fabricata est, quæ in arcum modo transvolata, firmissima stabilitate subsistit. » Unde sequioribus sæculis basilicarum capellas appendiculas, paulo depressiores, vel obscuriores, cryptas appellaverunt.

lumen et nobilem ejus familiam perpetuo colimus. Illud etiam inde assecuti, quod nostræ de nobilissima Marbodæorum gente ad epist. 3, lib. II, conjecturæ, non omnino improbabiles forte videbuntur, sicut nec quod de illa præfati sumus in præmouitione ad Marboli ipsius Opuscula.

*E. Martyrologio Gallicano illustrissimi. D. D. Andreae du Saussey episcopi Tullensis, in ipso Martyrologii contextu.*

« *Tertio Idus Septembris*. Redonis in Armorica, Sancti Marbodi episcopi et confessoris. « Qui serie hac in cathedra duodecim, duodecim apostolorum Agni nomina, tanquam vivus lapis virtutum eorundem eximia imitatione sibi divinitus indita gessit ; unde in suprema Sion evectus, lapidibus pretiosis quibus illa rutilat annumeratus est. »

Huic porro D. Loyauté de nobili Marbodorum familia notæ non incongrue subjiciendum duximus transumptum exactissime ex ipso originali apographo, in tabulario monasterii Beatæ Mariæ de Vitreio asservato, descriptum a R. P. D. Stephano Deschamps ejus priore, et ad nos, excusis jam Marbodi opusculis, transmissum ; unde liquet Marbodem tunc Redonensem episcopum, rogante Andrea et filiis ejus, Vitreii dominis, laudante Conano Britanniæ duce, et ejus matre Ermengarde, aliisque loci proceribus, ejecisse inde inordinatos qui ibi degabant canonicos, quorum loco monachos Benedictinos ibidem instituit, ecclesiam ipsam Vitreiensem monachis Sancti Melanii cum pluribus aliis ecclesiis et possessionibus concedendo.

(Vide infra, inter diplomata Marbodi, sub num. 3.)

Col. 98, lin. 57. — *Fulco, Fulconis filius.* Fulco V, Hierosolymitanus vocatus, qui mortuo patre Fulcone Rechin anno 1119, xviii Kal. Maii, comes Andecavensis, Turonensis et Cenomanensis factus est Chronicon brevius Sancti Albini ad annum 1108: « Sequenti anno obiit Fulco Rechin Andecavorum comes, xviii Kal. Maii. » Aliud: « 1109, obiit Fulco Rechin comes, cujus filius Fulco castrum Boatum et castrum Insulæ cepit. » Chronicon Turonense ad eundem annum: « Obiit Fulco Rechin, comes Andecaviæ, cui successit Fulco filius ejus, qui postea fuit rex Hierusalem. » Et chronicon breve Sancti Florentii: « 1109, Fulco comes moritur, et filius ejus Fulco accipit consulatum. » Fulconem hunc laudibus cumulat conditor Gestorum comitum Andecavensium: « Mortuo Fulcone Rechin, filius ejus Fulco vias patris et matris suæ deserens, honestam vitam deducens, prudenter terram rexit. » Et pietatis et belli, quibus abundabat, laudibus perscriptis, subjungit: « Cum Andecavensem, Turonicum, Cenomanicumque consulatum in prosperitate regeret, rex Hierosolymorum Balduinus nuntios in Franciam misit, qui prudentium consilio virum idoneum, qui filiam suam cum Hierosolymitano regno duceret in uxorem, secum adducerent. Eligitur itaque consilio Ludovici regis, et episcoporum multorum peritorum, Fulco Andecavensis, qui uxore carebat. Idem autem Fulco comes iturus Hierusalem, in festo Pentecostes venit Turonum, ut ei archiepiscopus sacræ signum crucis, pro more sanctæ peregrinationis, imponeret. » Post: « Ipse vero cum maximis copiis mare transiens, filie regis matrimonio copulatus, rex Hierusalem est effectus. » Addit paulo post: « Mortuo Balduino rege, Fulco Hierosolymorum regnum viriliter rexit, Damascenos Ascalonitasque sibi tributarios effecit. Denique, antequam Raymundus filiam Buamundi duceret, Antiochenum principatum maximo labore contra Turcas, absque ullo damno, mantenuit. Qui ex uxore sua duos filios Balduinum et Amalricum genuit. Ipse vero cum ad senilem ætatem pervenisset, vir bellicosus obiit, sepultusque est cum aliis regibus in Golgotha. Cujus filium Balduinum Hierosolymitæ regem sibi constituunt. » Duxisse primogenitam natarum Balduini, nomine Milesendem, ait; contra auctor chronici comitum Andecavensium unicam, evocatumque a principibus regni Hierosolymitani, non a Balduino existimavit. Hæc sunt illius verba: « Regni principes Hierosolymitani directis nuntiis Fulconem Andecavensium comitem sollicitaverunt quatenus loca Dominicæ passionis adiret, filiam regis Balduvini, quam unicam et hæredem reliquerat, uxorem accepturus. Quibus acquiescens comes, filio suo Goffrido Plantagenest hereditatem reliquit, Hierosolymam adiit, super solium David regis in Hierusalem collocatus est. Christi inimicos attrivit. Quod igitur inceperat viriliter sui successores suo tempore suppleverunt. Quorum strenuitas ordine successorio gubernacula regni Hierosolymitani nanciscens, et Idumæorum compescuit ferocitatem, et Babylonem factam rebellem sub ditione redegit, et Alexandriam reddidit tributariam, et in novissimis sui celebritate totius populus orientis effecit attonitos. » Sed non ego illi credulus sum. Suffragatur enim Gestis chronicon breve Sancti Albini: « 1127, mandat Balduinus rex Hierusalem Fulconi comiti, ut fiat gener suus. » Profectus autem anno Hierusalem pergit. » Et anno demum 1131: « Fulco rex Hierusalem efficitur, » idem Chronicon. Et non sublestæ fidei Willelmus Tyrius, qui tibi adeundus lib. xiii, c. 24, et cap. ult., et lib. xiv, cap. 1 et 2, in quibus de Fulconis protectione pluribus agit. Joannes monachus Majoris Monasterii eum hoc elogio ornavit: « Iste vias patris et matris deserens, honestam vitam ducens, prudenter terram suam rexit. Vir

A honestus, armis strenuus fide Catholicus, et erga Dei cultores benevolus, adeptis duobus consulatibus Andecavensi et Turonensi, tertium cum uxore sibi adjunxit Cenomanicum. Videlicet amicos exaltans, malignos et sibi adversarios opprimens, gloria et optima fama impar nulli in brevi effectus est. Cum autem Andecavensem, Turonicum, Cenomanicumque consulatum in prosperitate regeret, in regnum Hierosolymitanum eligitur, filiaque regis Baudoini matrimonio copulatur. Ipse vero quandiu advixit, regnum viriliter rexit. Damascos, Ascalonitas sibi tributarios effecit. Dinque antequam Raimundus filiam Buamundi duceret, Antiochenum principatum maximo labore contra Turcos, absque ullo damno, mantenuit. Ipse vero cum ad senilem venisset ætatem, vir bellicosus obiit. » Obiit Fulco anno 1142, secundum Willelmum Tyrium, lib. xv, cap. ult.; chronicon vero Sancti Albini breve ad annum 1143 ejus mortem refert. Et chronicon Sancti Florentii ad annum 1141, iv Id. Nov. Kalendarium Sancti Sergii: « iv Id. Novembris obiit Fulco rex Hierusalem, prius Andecavensis comes. Pro eo fiat sicut pro abbate. » Quod confirmat Martyrologium Ecclesiæ Andecavensis. De eo sic loquitur Alphonsus Hispanus, ex Judæo Christianus, in Historia Hierosolymitana ms. quæ penes me est, lib. iii, cap. 93, quod continet catalogum Regum Hierusalem: « Successit in regno generosus Fulco comes Andecavensis et Carnotensis [*lege Cenomanensis*] cui prædictus rex filiam suam primogenitam Milesendem dederat uxorem. Hic cum iussu Turcorum multitudine, quæ de sinu Persico ebullierat, circa partes Antiochenas congregiens, tribus millibus interemptis, multis autem captivitate detentis, cæteris fuga mortem evadentibus, gloriosum triumphum de hostibus reportavit. Regnavit autem undecim annis vel duodecim. Dum autem in territorio Acconensi leporem agitando cum equo suo corrueret, improvise et lamentabili casu in fata decessit, relinquens duos filios: Balduinum primogenitum, qui illi in regno successit, et Almericum. » Qui Amalricus Tyrio lib. xvi, cap. 1.

C Ibid. — *Uxor ejus Aremburgis.* In ejus nomine variatam. *Guiburgis* vocatur a Tyrio lib. xiv, cap. 1, *Heremburgis* in Kal. Andecavensi, *Ermmentrudis* in quibusdam codicibus chronici brevis Sancti Albini; et passim fere *Haremburgis*. Sed non ferendus error auctoris chronici comitum Andecavensium, qui *Sybillam* vocat: « Helias filius Joannis de Flea, Sybillam filiam cujusdam comitis Longobardiæ, neptem scilicet Hereberti, quondam Cenomanensis comitis, duxit uxorem, et cum ea comitatum Cenomanensem suscepit De Sybilla vero genuit Sybillam, quam Fulco filius Fulconis Rechin, postmodum rex Hierosolymorum, duxit uxorem, de qua genuit Gaufridum Plantagenest, et Sybillam Flandriæ comitissam. » Fulconem Hierosolymitanum duxisse Aremburgim post mortem Fulconis Rechin patris, Tyrius auctor est lib. xiv, cap. 1: « Præfatus vero Fulco, senioris Fulconis filius, patre jam defuncto, uxorem duxit filiam comitis Cenomanensium Helie, Guiburgem nomine, ex qua duos suscepit filios, et filias totidem. » Nuptias conciliante Bertrada matre, ut subjungit Tyrius: « Hujus autem matrimonii causa fuit mater; nam dum idem adolescens in curia comitis Pictavensium domini sui, pinceræ fuugeretur officio, audita fratris primogeniti morte, ab eodem comite captus est, et vinculis mancipatus, occasione quorundam castellorum, quæ ab eo contendebat violeuter eripere, quæ pater ejus et frater in finibus prædicti comitis jure hæreditario, sed de feodo prædicti comitis diu possederant. Quod audiens mater, quæ jam ab ejus patre multo ante diverterat, et ad dominum regem Francorum se contulerat, maternis mota visceribus, apud dominum regem suppliciter imploravit et obtinuit, quod filius

ejus a vinculis absolutus, paternæ restitueretur hæreditati; insuper etiam effecit, ut supra nominali comitis Helicæ unicam filiam, cum ejus omni hæreditate, dominus rex ejus filio uxorem concederet. » Celebratæ autem nuptiæ anno 1109. Chronicon Turon. : « 1109 Fulco comes Andecavensis duxit uxorem Haremburgim, filiam Helicæ comitis Cenomanensis, de qua genuit Gaufridum, qui ei successit, et Heliam postea comitem Cenomanensem, quem Gaufridus frater suus postea usque ad mortem Turonis carcere mancipavit. » Memorandum vero hoc Aremburgi contigit, quod primum pacta Martello II, Fulconis fratri consanguineo fuerit. Gesta comitum Andecavensium in Goffrido Mart. II : « Huic Martello Helias comes unicam filiam suam, non adhuc matrimonio aptam despondit, et Cenomanum cum appendiciis ei tribuit. » Et in Fulcone rege Hierosolymitano : Qui ab Helia Cenomanorum comite unicam filiam suam, quam Martellus, frater suus licet, sibi promissam non

nupserat, dari sibi cum Cenomanico consulatu impetravit. Sicque Cenomanicus et Andecavensis consulatus conjunctus esse dignoscitur. » Cæterum factis concessit Aremburgis anno 1126. Chronicon Sancti Albini ad eum annum. Mense Januario Martyrol. Eccles. Andec. : « xviii Kal. Februarias obiit Heremburgis Andecavorum nobilis comitissa. » Pene oblitus eram dicere Aremburgim et Fulconem uniter abbatiam Oratorii fundasse, quod docet Chronicon Turonense ad annum 1121 : « Fundata est abbatia Oratorii in episcopatu Andecavensi a Fulcone comite Andecavensi et Haremburge uxore ejus. »

Col. 98, lin. 59. — *Paterno jure.* Præter laudatos auctores Willelmus Gemmeticensis lib. viii *Hist. Normann.*, cap. 34, et Ordericus Vitalis lib. xii *Eccles. Hist.* : « Fulco junior comes Andecavensis, qui gener et hæres erat Helicæ Cenomanorum comitis. »

Col. 98, lin. 60. — *Salutem animarum.* Formula usitata in Occidente, nec Græcis ignota.

## PRÆCLARA VIROBORUM ILLUSTRIORUM DE VENERABILI HILDEBERTO TESTIMONIA.

### *Sanctus Bernardus.*

Præter quam quod venerabilem Hildebertum in epistola 44, lib. ii, vocat « magnum sacerdotem et excelsum in verbo gloriæ, et magnam Ecclesiæ columnam; » et in epistola 19, lib. iii (in edit. Mabill. 123) : « Totius reverentiæ virum, » sic illum in eadem compellat, « Quæ ad me de me tibi scribere placuit, videris tu unde probaveris. Ego laudum tuarum argumentum teneo minime dubium ipsas mei laudatrices litteras tuas, in quibus alium fortasse delectat eruditionis insigne, sermo suavis et purus, oratio inculenta, gratum laudabileque compendium. Mihi vero præ his illa ducitur humilitas, qua tantillum tantus prævenire curasti, et obsequio salutandi, et præconio prædicandi, et precandi reverentia..... Veruntamen quod sum tuum est, et si quid melius Dei unquam munere fuero, tuum fore confidito, reverendissime utque amantissime Pater. »

*S. Anselmus, epist. 11 lib. vi editionis Gerberoniana, ad Hildebertum.*

Sicut volo vitare injustitiam, sic vestram desidero amplecti amicitiam. Fateor etiam quia si mihi esset possibile, vos ad duplum quam me diligatis, debere diligere, quia vos me prævenistis amore, quod probastis munere. Nam quoniam inmeritum dilaxistis, non minus debeo rependere. Quoniam si significastis vobis placere hoc quod de opusculis nostris vidistis, præsumptius vobis mittere quædam, quæ, ut puto, nondum vidistis.

*Petrus Blesensis, epist. 101, ad R. archidiaconum Nannetensem, de puerorum institutione.*

Scio mihi plurimum profuisse, quod cum.... parvulus erudirer, materiam mihi non de fabulis, sed de historiaram sumebam veritate. Profuit mihi

(88) Iude intulit eruditissimus D. Loyauté in supra laudatis notis, quod Hildeberto vivente et vidente, in scholis ejus epistolæ ad imitandum

quod epistolas Hildeberti Cenomanensis episcopi, styli elegantia et suavi urbanitate præcipuas, firmare, et corde tenus reddere adolescentulus compellebar (88).

*Ivo Carnotensis, epistola 167, ad Hildebertum.*

Bene sentimus de religione vestra, quia ubi eluxerit vobis vera et justa sententia, non declinabit a via regia.

*Goffridus Vindocinensis, epist. 13 lib. iii, ad Hildebertum, agens de illegitima electione Raynaldi ad sedem Andegavensem.*

Bene quidem incepistis; quoniam per libertate sanctæ Ecclesiæ contra ejus adversarios viriliter vos erexistis. Unde Deo et Dei amicis, vos magis charum reddidistis, et famam nominis vestri per hoc non mediocriter dilatastis.

*Item Goffridus in epistola ad præfatum Raynaldum, 11 lib. iii.*

[Hinc Hildebertus vlr religiosus, qui post metropolitanum, in provincia primus erat episcopus, non tacuit: qui a vestra consecratione, licet a suo metropolitano vocatus, seipsum absentavit, et execrationem esse potius quam consecrationem, apostolica et evangelica veritate prædicavit.]

Licet porro quoddam inter Hildebertum et Goffridum dissidium emergerit, ratione cujusdam Joannis Cæmentarii, monachi Vindocinensis, quem sibi a Goffrido commodatum Hildebertus, ut suis ædificiis utilem, diutius retinuerat quam speraverat et optaverat Goffridus, illum tamen semper variis epistolis (epist. 15 et seqq.) bonæ, beatæ ac laudabilis vitæ episcopum nuncupat, dum æpius venerabilem, charissimum, dominum suum, et visceralem, et præcordialem amicum nominat, et (epist. 14 libri iii) prudentem simul et simplicem episcopum, et

proponbantur. Non enim, inquit, Hildeberti ætas virum ferebat, cui aut ingenium præstantius, aut oratio concinnior famam conciliaverit.